






6289

Z. BIBLIOTEKI  
SEMINARIUM  
SANDOMIERSKIEGO



UMBRA  
APOLOGETICA,  
GENUINUM PRÆCEPTI

D E

PECUNIA,  
IN REGULA FRATRUM  
MINORUM SENSUM NIMIA  
QVADAM OCCULTATUM  
LUCE DETEGENSE ET  
APERIENS:

P E R

ADMO: REVER: PATREM FRATREM,  
LUDOVICUM  
ROZYCIUM,  
ORDINIS MINORUM,  
Provinciæ Reformatæ Minoris Poloniæ  
Sanctæ MARIÆ Angelorum Ministrum  
Provincialem, SS. Theologiæ  
Lectorem.

Anno Domini M. DC. LXXVI.

---

PRAGÆ: Typis Georgii Czernoch.

6289

Z BIBLIOTEKI  
SEMINARIUM  
SYDONIENSIS

·os)†(so  
D I V O  
PATRIARCHÆ PAUPERUM  
S. FRANCISCO  
SERAPHICO,  
PERFECTISSIMO PECUNIARUM  
O S O R I,  
E T  
EXACTISSIMO VERITATIS SIMPLICIS  
A M A T O R I.  
D. D. D.

**P**Arce Pater Sanctissime,  
Patriarcha Gloriosissi-  
me; quòd Filii Tui adeò  
in via mandatorum Tu-  
orum ferveant, ut Umbram requirere  
neceffe fit in æstu advocatam: quam-  
vis enim illumines mirabiliter de mon-  
tibus æternis, arduamq; vivendi semi-  
tã lucis Tuæ radio tutam reddas à pericu-  
lis; quia tamen & suos habet Lux in in-  
):(2 telle-

celledu nostro atomos, & suos etiam  
 ferventissima quæq; luminaria nimiùm  
 quantùm anxios habent calores, ideo  
 Te (si pateris) assentiente, sanctámque  
 è Cælo Benedictionem impertiente,  
 Umbram Luci huic oppono Apolo-  
 geticam, eámque (ut non extra gressu-  
 um Tuorum semitam ad nos inclinetur)  
 pedibus Tuis Sanctissimis substerno re-  
 verentissimè. Unum proinde est,  
 quod à Te Pater Sanctissime, Patriarcha  
 Gloriosissime precer; ut nimirũ, quod  
 in Umbra præbet solatium, approbes;  
 quod verò ad noctis horrorem, exe-  
 crandásque nubium tenebras Tibi fortè  
 videtur accedere, sanctioribus, quos ha-  
 tænus infudisti, instinctibus, ac veluti  
 temperatis ab umbra caloris, æstûsque  
 faculis illustres, ac repares: Habes quip-  
 pe, quòd in anxiiis zelantium cordibus  
 con-

confirmes, habes, quod in vacillantibus  
 consolides. Ita nimirum Umbrā hanc  
 & anxios roborantem, & vacillantes so-  
 lidantem Sanctissimo Tuo etiam obtutu  
 dignabere; non intendo enim vel jota,  
 vel apicem de Regula Tua Sanctissima,  
 & mandatis Tuis relaxativè umbrare, sed  
 solū Tuam attingere mentem, & faci-  
 liorē declarare intellectum. Denique  
 ut umbra hæc in Tuam evadat, Tu ipse  
 ei umbraculum sis meridianum; neque  
 enim sinè Te Umbra hæc protegeret, qui  
 ideo fortè venisti ex Umbria, ut, dum ca-  
 lentioribus mundum ussurus esses igni-  
 bus, Umbram etiam dares caloris reme-  
 dium; sed Umbram, quæ nec Cimme-  
 rias nōssēt tenebras, nec cum fatalibus  
 misceretur Acherontis umbris, vel etiā  
 noctem saperet Ægyptiacam, Umbram  
 inquam solatij, & consolationis: Quid  
 enim

enim id negares aliis, dum ipse caloris, quem Seraphicus amor incenderat, impatiens, non nisi in Umbris, aut certè umbram reddentibus quinque signaculis, umbrosis dicam potiùs domiciliis invenisti remedium; adeò scilicet totis corporis artibus incalueras, ut etiam in pedibus, ac manibus, nec non & pectore umbram aperires; dignus proinde, qui Seraphicis æquareris mentibus, sed solo hoc discrimine, quòd Seraphini pro æstu alas, Tu stigmata repræsentas. Huc igitur Umbrã meã recurrentẽ Pater Sanctiss: Patriarcha Gloriosissime, admitte securè in domicilio Tuo delitescere cupientẽ; eam enim, ut conformior Tibi sit, ita unitam Tibi cuperẽ, ut nec à mente Tua, nec Corpore queat separari.

Ita vovet

TUÆ SANCTITATIS

*Cliens votis devotissimus*

F. LUDOVICUS ROZYCIUS.

# FACULTAS

## REVERENDISSIMI PATRIS COMMISSARII GENERALIS.



*Frater Jacobus Maria de Spinetulo Ordinis Minorum Strictioris Observantiae Ex-Procurator Generalis, ac in tota Cis-montana Reformata Familia Commissarius Generalis, & servus. Dilecto Nobis plurimum in Christo Patri Fratri Ludovico Rozycio Theologo, & Ministro Provinciali Provincia Nostrae Reformatae Minoris Poloniae salutem in Domino sempiternam.*

*Ut Opusculum, cui Titulus est: Umbra Apologetica, à te compositum, & à quibusdam Religionis Nostrae Theologis revisum, & approbatum, in lucem edi possit; tibi praesentium vigore ad Salutaris Obedientiae meritum, servatis servandis, facultatem impertimur. Roma primâ Februarij, 1676.*

*Frater Jacobus Maria à Spinetulo,  
Commissarius Generalis.*

CENSURA  
 THEOLOGORUM  
 REFORMATÆ PROVINCIÆ  
 BOHEMIÆ  
 SANCTI WENCESLAI  
 DUCIS ET MARTYRIS.

**U**mbra Apologeticam, detegentem,  
 & aperientem genuinum sensum illius  
 Nostri Seraphici Præcepti de pecunia,  
 accuratè legi, & relegi, maturo iudicio, & at-  
 tentione habitâ, ad puritatem statûs Nostri  
 Reformati trutinavi, & expendi; & quoni-  
 am nil dissonum bonis moribus, nil contrarium  
 Apostolicis sanctionibus, nil noxium pure ob-  
 servantia, & rigorosa nostræ paupertati; quin  
 imò omnia dicta conformia arctò nostræ Refor-  
 mationis Instituto in ipsa reperi; idcirco ju-  
 dico expedire, ut eam Author Doctissimus Ad-  
 modùm Reverendus Pater Ludovicus Rozycius  
 Sacro-Sanctæ Theologiæ Lector emeritus, &  
 nunc Dignissimus Provincia Reformatæ Mino-  
 ris Poloniæ Minister Provincialis, beneficio typi  
 publicæ exponat luci. Actum Praga in Con-  
 ven-

*ventu Sanctæ Mariæ ad Nives Ordinis Fratrum  
Minorum. Sancti Francisci Reformatorum.  
Anno 1676. die 5. Januarij.*

Frater Bernardus Sannig, Sacro-  
Sanctæ Theologiæ Lector Jubi-  
latus, & Provinciæ Bohemiæ  
Minister Provincialis.



**U**Mbram fugat veritas, Noctem Lux  
eliminat: canit Ecclesia, Mater veri-  
tatis fallere nescia: Apologia hæc Ad-  
modum Reverendi Patris Ludovici Rozycij,  
Ordinis Minorum. Sancti FRANCISCI Re-  
formatæ Provinciæ Sanctæ Mariæ Angelorum.  
Minoris Poloniæ Ministri Provincialis umbra  
est, umbra nocti vicina, & amica: an igitur ve-  
ritate fuganda, & fugienda, ac eliminanda?  
minimè, saniora judico, meliora meretur. Um-  
bram futurorum fugat veritas præsentium,  
Noctem durioris Legis eliminat Lux Gratiæ  
Evangelicæ: Hæc umbra Evangelicæ est Evan-  
gelici jugi suavis, & oneris levis, seria, & syn-  
cera

*cera indagatrix, examinans, & dijudicans  
 non esse imponendum difficiliora; Hec um-  
 bra tegit veritatem, sed nudam, nec ulla le-  
 genti apparebit turpitude contra fidem, mo-  
 res, puram observantiam Regula, Apostolicas  
 Sanctiones, ut tegere sit, quod continere;  
 Hec umbra plus ultra intentionem communi-  
 ter loquentium, & etiam ipsiusmet Sancti  
 instituentis, impropria, & insuavia detegit  
 ex praecepto de pecunia, in nostra Regula Mi-  
 noritica, genuinumque sensum protegit;  
 Hec Umbra licet nomine nocti vicina, talis  
 est, quae sicut dies illuminat; Et hinc prae-  
 lo & typo eam dignam censeo. Actum Pra-  
 ga in Conventu Nostro Sanctae Mariae ad Nives,  
 die 19. Martij 1676.*

Frater Amandus Hermann,  
 Sacro - Sanctae Theologiae  
 Lector Generalis & Actualis  
 Professor.

CENSURA  
 THEOLOGORUM  
 PROVINCIAE REFORMATÆ  
 MINORIS POLONIAE  
 SANCTÆ MARIÆ  
 ANGELORUM.

**Q**uod aliquas umbra possit luci dare  
 suppetias, ad hoc ut sincerius cer-  
 natur, Paradoxum dicerem, nisi  
 quotidiana id ipsum comprobaret  
 experientia: Certum enim est, dum  
 quis resplendentem solis lucem pertinaci in-  
 tuetur oculo, mox eum tantâ obvolvi cali-  
 gine, ut nullum post visibile possit sincere  
 cernere objectum: Cui malo presentissi-  
 mum adfert umbra remedium, dum nimio  
 splendore disgregatum, iterum suâ congre-  
 gat opacitate visum. Ita pariter in men-  
 tis oculo contingere solet sæpè aliàs, maximè  
 verò occasione lucis Apologeticæ Reverendi Pa-  
 tris Pelandi, non paucis ex nostris evenisse  
 arbi.

arbitror, qui nimio hujus lucis splendore illecti, tot coruscantibus Approbationum radijs venienti, pertinacius forsitan mentis oculos defixerunt, ut quasi quâdam caligine capti, verum ac genuinum præcepti de pecunia sensum, discernere non possint. Opportunam igitur his objicit umbram ex Pelandiana luce, Marchantiana veritatis corpore resultantem. Admodum Reverendus Pater Ludovicus Rozycius, Ordinis Minorum Provinciae Reformatæ Minoris Poloniae Minister Provincialis Sanctæ Theologiæ Lector. Hæc umbra (assécuro) non offendit oculos mentis, sed protegit, non lædit, sed sanat, dum suâ opacitate, ceu quâdam cucurbitulâ splendentes Pelandiana lucis species, ex vi intellectiva extrahit, eâmq; dissipatam congregat, adeò, ut mens ipsa sibi reddita, & in unum collecta ipsam controversiæ veritatem sinceriùs discernere, ac penetrare possit. Ac proinde quantum sentio, tantum judico operæ pretium esse, ut hæc Umbra Rozyciana in publicam lucem, umbroso extrudatur prælo. Dabam in Con-

ven.

ventu Glivicensi ad Sanctam Crucem , die  
1. Novembris , Anno 1676.

Frater Stephanus Urbanides , Or-  
dinis Minorum Provinciae Re-  
formatæ Minoris Poloniae Pater  
Sacro-Sanctæ Theologiæ Le-  
ctor , & Custos Vocalis.



**U**Mbram Apologeticam , quam Ad-  
modum Reverendus Pater Ludovicus  
Rozycius , Provinciae Reformatæ Mi-  
noris Poloniae Minister Provincialis , Sacrae  
Theologiæ Lector , adversus lucis Apologeticae  
urentes radios , tam famam Doctissimi Viri  
denigrantes , quàm verum intellectum quar-  
ti Capitis Regulae Minoriticae ( ex se satis ar-  
dui ) obfuscantes , fideliter de verbo ad ver-  
bum cum suae Lucis , & Admodum Reverendi  
Patris Marchantij textu confrontando , mul-  
tâ meâ satisfactione , & animi quietudine per-

perlegi; in ea enim non solum acumen ingenij,  
 & accurata, adequataque contrariorum ar-  
 gumentorum solutio, sed etiam genuina men-  
 tis quarti Capitis Minoriticae Regulae, ac  
 Declarationum Papalium elucidatio videri  
 potest. Vtinam haec laboriosè conquisita, mo-  
 le quidem exigua, verùm doctrinâ, ac subtilita-  
 te ponderosa Umbra, omnium, quos Pelan-  
 diana Lux laesit, recreandis anteponatur o-  
 culis; illâ enim opitulante, non quâ commu-  
 niter itur, sed quâ Zelatores puritatis Re-  
 gulae Minoriticae ire debeant, vera aequè ac sva-  
 vis facillè cognoscetur via, timor atèque  
 conscientiae Fratrum multis angustijs, ac in-  
 quietudinibus liberabuntur. Hoc ex animo  
 opto. Datum Cracoviae ad S. Casimirum.  
 Anno 1675. 4. Novembris.

Frater Joannes Bienkovius, Con-  
 ventus Cracoviensis Guardia-  
 nus, Sacrae Theologiae Lector,

**O**pusculum intitulatum : Umbra Apologetica , ab Admodum Reverendo Patre Ludovico Rezycio , Ministro Provinciali Reformatæ Provincie Sanctæ MARIÆ Angelorum in Minori Polonia , Sacræ Theologiæ Lectore editum , accuratè lustravi , & reperi , quòd vitalis hæc Umbra , umbraculi instar sit , ne per interpositionem veritatis eclipsata Apologetica Lux officere queat ; quin potius cum Thaumaturga Petri certare videtur umbra , dum infirmos de distinctione pecuniæ à denarijs , per sanum intellectum erudit sensus , ut exemplo ~~sub~~ sub umbra Juniperi confortati , & ad montem Horeb festinantes , inoffenso pede , in stadio , ac studio altissimæ Paupertatis Nostræ , curramus ad bravium supernæ vocationis , umbram pecuniæ , seu denariorum declinantes , donec aspiret dies , & inclinentur umbra. Proinde cum prædicta Apologetica Umbra sit vitalis , utpotè redivivum SANCTISSIMI PATRIS NOSTRI FRANCISCI de pecunia , vel denarijs redolens sensum ac Spiritum , & Seraphi-

*ca Regule nostræ in sua puritate observanda, medum aliquid non deroget, quin potius sit profutura, ideo dignissimum censeo, ut hæc Umbra publicam videat lucem. Dabam in Conventu Cracoviensi ad Sanctum Casimirum, die Anno 1675.*

Frater Constantinus Przytałowscius,  
Sacrae Theologiae Lector.



**L**icentia imprimendi hunc libellum  
data est à Celsissimo, & Reveren-  
dissimo Principe Domino Domino  
JOANNE FRIDERICO Archi-  
Episcopo Pragensi: (titul:)

*it à testor*

Pragæ 6. Maij,  
Anno 1676.

Joannes Franciscus Liepure,  
Cancellarius.



P R Æ F A T I O .



Licet in hujus vitæ usura nil  
 gratius putetur, quàm lucis  
 usura ; *hæc enim* ( ut inquit  
 D. Ambr. in Gen. 1. super il-  
 la verba, *fiat lux* ) *est primus*  
*ornatus & sine quo nullus ap-*  
*paret ornatus* ; imò non defuere Philosophi,  
 qui ideo homines productos volebant, ut so-  
 lem intuerentur : hincque apud Latinos (a)  
*luce frui, lucem intueri*, sumitur pro vivere :  
 Attamen & hæc quamvis præstantissima  
 creatura, habet aliquid quod multis non a-  
 deò probatur, ut enim Meteorologica taceã  
 lumina, ignes fatuos : qui luminis sui sequa-  
 ces ducunt in præcipitia, & nonnullas alias  
 exhalationes accensas, quæ solent apparere  
 navigantibus tempestate agitatis, & quan-  
 doque pro infelici existimantur signo.

A

am

(a) Cic. pro Milon.

am in splendidissima solari luce, hoc quilibet vituperio dignū advertere potest, quod vehementiori suâ luce distinctæ plerumque officit visioni, Sol namque solus quodammodo lucere volens, ita cœlestia occultat phænomena, ut nullo modo stellas, astra, planetas intueri possimus: Unde fit: quod lux diei sola nobis terrestria reddat perspicua, cœlestia verò nullo modo; adeò, ut magnus Vates David, cum splendidissimos illos cœlorum orbis, Lunam & Stellas, digna Dei manibus prædicasset opera, Solis nullam fecit mentionem. (b) *Videbo celos tuos opera digitorum tuorum, Lunam & Stellas.* Propterea ut observat (c) S. Petrus Damian. ser. de Assumpt. quia Sol lucidius incandescens, ita sibi Syderum & Lunæ rapit positionem, ut sint quasi non sint, & videri non possint. Hoc idem sæpè in splendidissima spirituali Sapientiæ & Scientiæ luce evenire solet, adeò ferventes nonnulli doctrinæ suæ nituntur diffundere radios, ut alios lucere nolint, doctissimas aliorum obscurant sententias, ut suæ illustres & conspicuæ evadant: quorum

(b) *Psal. 8.* (c) *S. Petrus Damian. de Assump.*

rum inurbanum lucendi modum edocens nos declinare Christus, quamvis esset spiritualiter loquendo lux, quæ lucet reliquis magnitudine splendoris, obscurare & opprimere valeret, ut esse conspicuæ nequirent, neque scintillare possent; tamen urbanè nihilominus lucere voluit, ut amet optetque omnes alios lucere & apparere, dum ut observat doctissimus Didacus Nissenus, (d) diceret discipulis suis : Vos estis lux mundi. Prodiit nuper in Hemisphærio nostro minoritico lux Apologetica Authore Reverendo Patre Clemente Pelando Bergomensis, quam multis pergratam, veluti ad difficillimum de pecunia præceptum illustrandum utilem, ut ex comprobationibus Doctissimorum Virorum patet; non inficior. Hoc tamen in ea probare non possum, quod ardentioribus zeli excandescens radijs, Sententiam virorum valde literatorum, scilicet Admodum Reverendi P. Cypriani Capucini Antverpiensis, & Reverendi Patris Petri Marchant Recollecti, quam etiam non improbabilem vocat P. Sanctorus de Melfi utpotè

A 2

vali-

(d) Did. Niss. Serm. Quadr. f. 370.

validissimis rationibus munitam, in verbis Regulæ & Declarationibus Summ: Pontificum Regulam approbantium fundatam, Sanctorum qui in Ordine claruerunt & antiquorum PP. traditione confirmatam, obfuscare, obtenebrare nititur, errorem illum appellans, & ut talem Lectoribus proponens. Proinde, quia umbram materialem ad res distinctius, meliusq; conspiciendas juvare experientiæ suffragio didicimus, sicut exemplis evincunt, qui de re obtica scripsere; hinc enim fit, ut atra noctis umbra, ubi terrestria velo tenebroso coöperuerit, statim cœlestia aperit, ita ut in nocte stellas videamus, quas lux ipsa diei nostris subduxerat oculis, & Visio rerum perfecta, quam plenitudo luminis nobis surripit, hæc à tenebris, & umbris melius exhibetur. *Latere fax pusilla nocte non potest*, inquit Poëta. Ideo & ad hunc nimium spiritualis lucis ardorem arcendum, ad umbræ confugiendum videbatur auxilium, istum videlicet exiguum discursum (verè enim sermo, rei quædam umbra est) ut Veritas nobis utriusque præfatæ doctrinæ melius aperiretur conspicienda.

da. Et quidem maluiffem, ut alius majoris activitatis Luci umbram oppofuiffet, at tamen, ut quietius sub umbra illius fedeam, quem concupifcit anima mea; & sub umbra alarum veritatis protegar, & alij mihi commiffi, hanc umbram conficere volui, umbra homo. Et in præfenti tractatulo hanc obfervo Methodum, ut primò adducam rationes Patris Marchantij pro fua Sententia. Secundò Refponfiones Patris Pelandi. Tertiò Infufficienciam earum deduco.





## PARS PRIMA.

**I**N hac Parte P. Pelandus postquam prænottasset in Regula Fratrum Min. cap. 4. strictissimè præcipi Fratribus universis, *ut nullo modo Denarios vel Pecuniam recipiant, per se vel per interpositam Personam. &c.* Ad clariorem dicendorum notitiam dicit se adducere verum & Germanum sensum Præcepti ejusdem, secundum comunem expositorum Sententiam inquit : *Quod secundum communiter Expositores per Denarios ( in Regula nostra ) intelligatur Moneta ex quoq; metallo, seu materia confecta.* Sed ad majorem hujus rei dilucidationem.

*Respondetur :* Quòd quantum ad significationem nominis Denariorum, quid propriè hoc nomine significetur, clarum est apud SS. Patres in sua Expositione cap. 4. quòd significetur signata Moneta, seu ut dicit Pater Marchantius : *quorumvis metallorum particula, lege publicà certis quibusdam figuris insignita, & pro pretio rerum Venalium instituta :* quæ ob id Moneta vocatur, quòd nos signi impressione, Authoris vel pretii moneant ; sicut etiam dicuntur Nummi, quod ex Græco significat legem ; quia lege fuerunt institutæ. Unde Layman

Tom. 1. lib. 3. fol. 143. Ad iustitiam cufæ monetæ, seu pecuniæ dicit requiri inter alia secundum Gloss. in cap Quanto, Verb. Patris de Jure juran. Silv. Verb. Falsarius. Navar. lib. 3. de Restit. cap: 1. num. 316. *legitimam cudendi auctoritatem*, quam etiam signum impressum indicat; nam monetam cudere ex Regalibus unum est, ut constat ex lib. 2 Feud. c. 56. quæ sint Regalia, & lib. 2. de falsa Moneta. cum enim nummus ob publicam utilitatem & necessitatem institutus sit, non nisi illius auctoritate prodire debet, qui totius Communitatis curam gerit.

DIXI: *pro pretio rerum Venalium instituta*, seu quatenus sunt formale instrumentum emptionis, quia Denarij ut sunt materiale quoddam metallum, quod usibus Fratrum Min. cedere potest, sic Denariorum nomine non comprehenditur, nec consequenter ejus receptio est interdicta: Quo modo licet Frater minor centum aureos recipere potest ( secluso scandalo & malitia omni seposita ) non ut Genus aut Species monetæ sunt, sed ut ex isto auro calix conficiatur, aut calices deaurentur, ut notat Hugo, quod tamen ob abusus, periculum, vel scandalum esset cavendum, & non recipiendum aurum, nisi fractum, aut fufum.

*Quantum ad nomen pecuniæ dicit Pater Pe-*  
landus, quod nomine Pecuniæ 4. Magistri su-  
per

per Regul. Fratrum Min. quid illo intelligatur, allegant antiquam Ordinis Constitutionem dicentes: *Per interpretationem dicit Constitutio antiqua, Pecuniam esse, quicquid recipitur, ut vendatur. Unde libri & calices, si reciperentur intentione, ut auctoritate Fratrum postmodum venderentur, inter Pecuniam computantur: quia intentio Denariorum est in sic recipiente, quia quod venditur denariis venditur.* Hæc quatuor Magistri, & Hugo de Dina. Ex quo ulterius notat Verisimilius esse hanc constitutionem esse in Primitiva Religione, tempore S. P. N. Francisci, siquidem dicebatur antiqua tempore quatuor Magistrorum &c.

*Sed Respondetur ad hoc: Verum quidem esse quod 4. Magistri allegant præfatam Ordinis Constitutionem antiquam, non tamen eam approbant, sed potius reprobant, ut patebit in Prob. 6. Concl. 1. in fine. Unde negatur fuisse tam antiquam, quod vigerit tempore S. P. Francisci, vel si vigit, negatur eam esse de mente S. Patris; aliàs non reprobaretur à 4. Magist. Sed prosequitur P. Pelandus.*

*Expositio SS. Patrum Ordinis dicit: Nominè Pecunia intelligitur qualibet res, quæ recipitur, ut vendatur. Et allegat Decretale Nicolai 3. dicentis: Nec eo animo, ut distrabant, sive vendant, recipiant. Et exemplificando subjungit:*  
Sicut

Sicut equi, arma, cera, panni qui veniunt cum funeralibus. Item granum quod petitur, & accipitur à Fratribus in messibus, non ut comedatur, sed ut vendatur, & omnia similia, Pecunia sunt: quæ indifferenter recipiuntur contra Regulam. Hæc ibi.

Sed hoc expressiùs, & clariùs explicatum est in Capitulo Generali Pallesiello, Anno Domini 1480. celebrato, (a) cujus verba formalia sunt ista: Declaratur secundum Regulam, & Expositores ejusdem, quod nomine Pecunie intelligitur omnis res, quæ procuratur, & recipitur, non ut Fratres utantur ea immediatè, sed eo animo, ut commutetur in aliam, vendatur, vel distrabatur. Hæc ibi.

Quoniam verò Capitulum Generale ( ut aiunt 4. Magistri & Hugo de Dina ) auctoritatem habet ab ipsa Regula ordinandi ea, per quæ Religionis puritas, & perfectio custodiri valet; ( nam propter hoc, B. P. Franciscus Capitula Generalia celebrari voluit ) ideo rationabiliter istam Capituli Generalis declarationem sequuntur communiter Expositores Regula: quæ & practicè servatur ab his, qui puram Regule observantiam profitentur. Et hoc dum non extat aliqua Papalis declaratio in contrarium; quia si extaret, tunc standum esset Declarationi Pontificiæ, quæ cæteris Doctorum declarationibus majori

vene-

(a) In Mom. Ord. Min. pag. mihi 40. (b) 4. Mag. & Hugo in cap. 8. reg. (c) vide fufius Polit. Præl. 3. in reg. Fratrum Min.

*veneratione habenda est: quoniam ad Papam pertinet aperire verum & simplicem Regulæ intellectum. Papalis enim declaratio, ( ut sic ) omnes obligat ad ejus observantiam in utroque foro: cui absque ulla contradictione humiliter subjacere tenemur. Hucusque Pelandus.*

*Respondetur* Expositionem SS. Patrum quod attinet. Quòd sicut Corduba quæst. 6. inductoria discurrens dicit de Doctoribus aliquibus, seu Expositoribus Regulæ, aut de eorum dictis, non est curandum, quando contra aliqua contenta in Declarationibus Nicol. 3. & Clem. 5. loquuntur, quæ habent primum locum, quia scripserunt ante prædictas declarationes, ut S. Bonav. Hugo; Quatuor Magistri & alij licet scripserunt post prædictas declarationes fortè ex inadvertentia sequendo priores Expositores, aliter locuti sunt contra prædictas Declarationes: Ita in proposito, quia hæc Sententia, contenta in Expositione SS. Patrum de pecunia ( fortè sequens citatam constitutionem antiquam ) non videtur loqui conformiter ad declarationes Nicolai 3. & Clem. 5. ut ex infra dicendis patebit; ideò non cogit, ut eam sequamur. Et quamvis pro confirmatione sua alleget Decretalem Nicol. 3. dicentis; *Nec eo animo ut distrabant, si-ve vendant, recipiant, &c.* hoc non convincit: quia in præfato textu id non prohibetur ex ca-  
rati-

ratione, quòd hoc sit pecunia, sed tanquam proprium & superfluum ; nam statim subjungit Pontifex, *quinimo in omnibus appareat in eis quoad dominium omnimoda abdicatio, & in usu necessitas: & patet ex titulo articuli, qui est: Cui competat dominium rerum Fratribus concessarum.*

*Eodem modo* Respondetur ad declarationem Capituli Pallenfielli, quòd scilicet contra eam stent declarationes Pontificiæ prædictæ, Nicol. 3. & Clem. 5. quæ ut ipsemet Pelandus dicit, *majori veneratione habende sunt.* Nec adeo infallibiles Constitutiones Generales habent Spiritûs S. assistentiam, quo minus falli, aut immutari possint ( prout præ tendit P. Pelandus) quandoquidem toties per sequentes Constitutiones rejectæ & abolitæ sunt, ut observat Sanctior cap. 12. fol. 679. adducens Segoviensia cap. 8. §. 7. dicentia : *omnia & Singula Statuta hucusque retroactis Capitulis & Congregationibus quomodocumq; edita omnino abolentes, &c.* Et antiqua Salmanticensia : in literis Cardinalis de Carpo Protectoris, in quibus dicitur : *Cæteris omnibus tanquam rescatis & abjectis, &c.* Et Corduba quæst. 6. introductoria §. 2. quoad Constitutiones Ordinis recenset Capitulum Toletanum 1532. cum Capitulo Generali Parmensi, Tabulas Vic. Generalis 6. 16. 18. 19. in quibus anti-

antiquis ac non necessariis abolitis, tunc statuta observari mandantur. Et sic concludit Corduba standum esse Statutis, quæ pro tempore vigerint, quoad usum scilicet & consuetudinem, quæ firmat leges, quæ moribus utentium approbantur. cap. Erit autem lex dis. 4. Proinde licet Statuta antiqua, res ad vendendum, commutandum, distrahendum, &c. receptas propriâ autoritate vocitent receptionem Pecuniæ in Capitulo Generali Palleusiello; quia tamen moderna Statuta ab *Urbano VIII.* confirmata, reducunt id ad proprietatem, ut postea patebit, his potius standum est. Ex quibus patet, quam inaniter invehitur P. Pelandus contra Patrem Marchant. quod à decisione illius Capituli Generalis, & Sententia communi antiqua recedat, conformando se potius posterioris Capituli decisioni, & Declarationibus *Clem. 5. & Nicol. 3.* in sua Sententia, quam efficacius cavillare volens, P. Pelandus nonnullos in hac materia de pecunia Conclusiones adducit, & earum probationes resolvere nititur, per quod suum intentum assequatur, ut clariùs appareat, sit *P. March.*

### CONCLUSIO PRIMA.

**N**omine Pecunia in Regula Fratrum Minor. non potest intelligi res omnis que recipitur eo animo, ut vendatur, aut distrahatur,

*batur, sive ut in aliam commutetur.* Ita March. Croufers, & non improbable putat Sanctiorus. Probat. Simplex intentio Regulæ & S. P. Francisci fuit, quòd verba Regulæ simpliciter intelligantur, eo modo, quo communi loquentium sermone usurpantur: Atqui nomen pecuniæ communi loquentium sermone non sumitur pro eo, quod recipitur, ut vendatur, vel distrahatur &c. Ergo nec in Regula sic accipi debet. Minor patet, quia quod est medium ad finem aliquem, non est necessariò ejusdem rationis cū fine, alioquin oporteret dicere; Merces Mercatorum quas comparant, ut eas divendant re ipsa esse Pecunias: imò quicquid venale est, esset pecunia; quod à nemine dictum fuit, nisi fortè analogicè valdè diceretur, quatenus per eas pecunia acquiri potest. Major probatur ex Testamento S. Patris, ubi dicit, quòd verba Regulæ intelligantur & observentur *simpliciter, & sine glossa*, ergo sic debent intelligi.

*Respondet* P. Pelandus in sua Luce Apologética negando Majorem ex duplici capite. Primo: quia Testamentum non obligat, ut declaravit *Gregor. 9. & Nicol. 3.* Sed

*Contra.* Licèt non obliget, potest tamen conducere ad intelligendum Regulam, ut elicitur ex Expositione 4. Magistror. cap. 5. & patet ex ipsa ratione, ut dicit Gorduba fol. 80. Ergo &c.  
Secun-

Secundò (inquit) quòd S. Pater precipiendo ut verba Regule intelligantur simpliciter, & sinè glossa, non precipit, quòd intelligantur secundùm communem loquentium sermonem, sed prohibet glossas extortas, & impuras, & declarationes irrationabiles, quæ Regule puritati & simplicitati contrariae sunt &c.

*Sed contra.* S. Pater in præfatis suis verbis duo facit. primò prohibet glossas in Regulam. Secundò precipit, ut verba intelligantur simpliciter. Quantum ad primū, nulla est difficultas, quòd prohibeat glossas solūm impuras, non autem illas, quæ purum eis intellectum declarant. Sed quantum ad secundum, quero, quis sit ille sensus simplex quem observari mandat in intellectu Regulae? non potest esse alius, quàm ille, qui in cōmuni modo loquendi usurpatur: Ergo secundùm hunc intelligi debet.

*DICES* fortè cum P. Pelando, sensum simplicem esse illum, qui continetur in declarationibus Pontificum & Doctorum idem cum illis sentientium. *Sed contra.* Vel hoc intelligitur ita, quòd Declarationes Pontificum & Doctorum præsupponant in verbis Regulae certum sensum, & significationem eorum, cui se conformant in declaranda mente Conditoris Regulae? vel ita, quòd verba Regulae accipiant sensum & significationem à Declarationibus? Si primū

primū, hoc quidem verum est, ut patet ex Declaratione præsertim *Nicol. 3. art. 1.* & sequentibus, qui intentionem Regulæ ex Verbis ipsiusmet colligit, ut legenti patet.

*Sed quæro* : quis sit ille verborū sensus, cui se Pontifices conformant in declaranda mente Legislatoris? Non potest esse alius, nisi ille, quem communiter homines formant, dum audiunt illa verba. Nec enim est præsumendum Pontifices & Doctores in exponenda Regula Fratrum Minor: recessisse à forma tradita à lege, & vulnerare quantum ad hoc decretales in Corpore juris inclusas: Ergo sensus juxta quem debent intelligi Regulæ verba, est ille, qui continetur in communi modo loquendi. *Si secundum: Contra.* Ad colligendam intentionem S. Patris in sua Regula, & verborum sensum, dantur Declarationes à Pontificibus & Doctoribus, ut mediante sensu, & significatione verborum, tanquam mentis, & intentionis S. Patris signorum, declarent mentem ipsius; Ergo præsupponunt in verbis sensum, & significationem, consequenter non dant illam verbis.

*Objicies* ex P. Pelando primò. S. P. Franciscus Regulam & Ordinem submitit determinationi, subjectioni, declarationi Sanctæ Sedis, ut patet ex *Tract. defensoris contra deviantes notab. 1. pag. 258.* Ergo non habuit intentionem nec habe-

habere potuit alligandi verba Regulæ suæ ad communem loquentium sermonem.

*Resp. Neg. Conseq.* Quid enim derogaretur per hoc, quòd Pater Sanctus Regulæ suæ verba alligaret ad communem usum loquendi, auctoritati Summi Pontificis, in approbanda, improbanda, vel declaranda Regula? Numquid hoc non obstante non potuisset Summus Pontifex Regulam cum verbis ad communem loquendi usum alligatis approbare, improbare vel declarare? Imò quod omninò necessarium fuerit, ut S. Pater verba Regulæ suæ ad communem modum loquendi alligaret, clarè ostendo sic. Sanctus Pater velut Legislatur per suam Regulam tanquam per legem intendebat & volebat obligare Filios suos ad certum vivendi modum in ipsa expressum; eamque ut talem subiciebat approbandam vel reprobendam ac declarandam S. Sedi. Ergo debebat verba Regulæ suæ alligare ad certum loquendi modum, ut per illa significaretur, tum Fratribus, tum S. Sedi mens ipsius: quia & notat Layman de lege lib. 1. tract. 4. cap. 18. num. 4. Mens & Voluntas Legislatoris est veluti Spiritus & anima legis; unde omnis vis obligandi per verba tanquam per signa instrumentalia provenit. Sed non ad alium potius, quàm ad communem; quia ipsemet talis solùm fuit usitatus: Unde decernitur in Ju-

re usum loquendi Legislatoris maximè attendendum esse pro habenda mente ipsius. *Si servus plurium §. Finali. ff. de leg. 1. Roman. cons. 179. n. 5. & alij apud Moron. respon. 56. n. 6.* Ergo ad talem loquendi modum alligavit verba suæ Regulæ.

*Confirmatur.* Summi Pontifices, præsertim Nicol. 3. & Clem. 5. declarando Regulam Minorum, & mentem S. Patris, recurrunt ad verba explicando ipsa secundum comunem loquendi modum, ut patet legenti Declarationes eorum. Ergo signum est, quod verba Regulæ suæ alligaverit S. Pater ad communem loquendi modum.

*Obijcies* secundò ex eodem. *Petrus Marchanz in Quest. Proamiali q. 2. tit. 2. tractans de sensu literali Regula ponit exemplum in illis verbis. Regula & Vita Fratrum Minor. hæc est, scilicet Domini Nostri Jesu Christi S. Evangelium observare; & explicando sensum literalem horum verborum sic ait: si grammaticaliter hæc verba intelligantur falsa sunt, non enim tenentur Fratres Minores totum Evangelium observare: si tamen intelligantur literaliter vera sunt: quia tenentur ad Evangelium observandum in ijs, qua in litera Regula specificantur; ut Declaratio Nicol. 3. aperte dicit. Sed illa verba S. Evangelium Domini Nostri Jesu Christi &c. non solum sumuntur pro toto Evangelio grammaticaliter, sed etiam secundum loquentium*

B

ser-

sermonem : Ergo verba Regulæ non possunt intelligi secundum communem loquentium sermonem. *Resp. Neg. Minor.* Quòd verba illa scilicet Domini nostri Evangelium observare sumpta cum ulteriori contextu illo scilicet vivendo in obedientia &c. secundum communem loquentium sermonem sumantur pro toto Evangelio. Sumpta enim cum illa modificatione & determinatione, *Vivendo in Obedientia sine proprio &c.* significant obligari fratres ad observantiam S. Evangelij, per ipsam Regulam in ipsis tribus modificatam, vel determinatam, seu specificatam; ut bene deducit *Nicol. 3. vide* ipsius formalia verba. Unde non debent ita mutilè sumi verba in explicatione Regulæ in communi modo loquendi, sicut sumuntur à P. Pelando hìc, sed cum respectu ad antecedentia, vel subsequents verba, quibus modificatur eorum legitimus sensus. Nam verba sequentia declarant antecedentia, *leg. qui filiabus init. & leg. Si servus §. final. ff. de leg. 1.* & notant Roman. consil. 231. Socin. jun. *in lib. fin. ff. de reb. dub. Baldus in l. si quando. ff. & alij apud Pasqual fol. 428.* Et juxta hoc Pontifices in suis Declarationibus explicant Regulam.

Hinc patet quod P. Pelandus malè confundit sensum gramaticalem cum sensu in communi modo loquendi contento; cum potiùs hic sensus

coincidat cum literali, qui præter significatio-  
nem verborum, vel dictionum, ampliùs con-  
notat, seu includit intentionem dicentis.

*Objicies tertio* Ex eodem. Si illa Major: quòd  
Regulæ verba debeant intelligi secundùm com-  
munem loquentium sermonem, esset vera, se-  
querentur multa absurda. Sequeretur enim  
quod non liceret Gvardianis recipere aliquem  
ad Ordinem de licentia Ministrorum, quia in  
cap. 2. ipsis tantùm Ministris datur facultas re-  
cipiendi ad Ordinem. Itē sequeretur, quòd Fra-  
tres non possint licentiare penitùs inhabiles,  
qui venirent, ut in Ordinem reciperentur; quia  
Regulæ verba clarè sonant apud omnes, quòd  
venientes ad Ordinem mittantur ad Ministros.  
Item quòd Gvardiani non possent recurrere ad  
Amicos spirituales; quia verba Regulæ com-  
muniter ab omnibus intelliguntur, quòd Mi-  
nistri & Custodes tantùm hoc faciant. Item  
sequeretur, quòd nullus posset promoveri ad  
prædicationis officium, nisi à Ministro Gene-  
rali examinaretur; verba enim Regulæ secun-  
dùm communem intelligentiam significant,  
quòd id à Ministro Generali fieri debeat. Er-  
go & c. *Resp. Neg. illas consequentias deductas,*  
esse absurdas, attendendo communem loquen-  
di modum, & tenorem Regulæ, imò quòd hæc  
mens, & intentio Sancti Patris fuerit ab initio

Ordinis instituti, colligitur ex Declarationibus Nicol. 3. & Clem. 5. qui dicunt attento statu Ordinis præterito, in paucitate sui, hæc potuisse ut verba sonant, secundum communem modum loquendi observari, considerato tamen moderno in ampliato numero Fratrum statu, concedunt illa posse aliter fieri, recedendo quoad hoc à communi verborum sensu, & tenore Regulæ, ut notat Corduba explicando particulariter quamlibet Regulæ ordinationem citatam: utunturque hac in parte Pontifices dispensatione, non quidem relaxativâ, quæ appellatur *vulnus juris*, quia jus commune lædit; sed declarativâ, quæ *Epikeia* dicitur, & æquitas, quam proinde Pater Marchant cap. 10. tit. 1. 9. 2. loquendo de istis ampliationibus Pontificum non tam dispensationem vocat, quàm explicationem mentis Fundatoris, sive legis interpretationem, & Epikeiam rationabilem.

*Confirmatur*: Eadem Major Principalis Probationis primæ ex Jure Canonico. Primò. Cùm interpretatio verborum potest fieri ex jure, & ex communi usu loquendi; facienda est secundum communem usum loquendi, ommissâ illâ, quæ potest dari ex Jure. *l. stipulatio ista §. si quoq. ff. de verborum obligatione*, & colligitur ex Glossa & ibi not. per Barthol, & notat expressè Innocen. *cap. cum clamor. & cap. cum causam, de Testibus*. Sed

ver-

verba Regulæ Minoritanæ possunt & secundùm Jus interpretari ( præsertim in proposito de pecunia, (a) ut defacto ex hoc solo fundamento ; quòd jura Civilia distingvant inter denarios & pecuniam, sic interpretantur illa adversarij ) & secundùm communem modum loquendi. Ergo omisâ interpretatione secundùm jus, debent explicari secundùm comunem usum loquendi.

*Confirm.* Statutum juxta communem modum loquendi intelligi debet, sicut & cæteræ dispositiones etiam odiosæ *l. labeo. ff. de suppelle-til. legat. & l. librorum §. quod tamen (b) Cassius de leg. 3. & l. Cùm de lanionibus §. asinum ff. de fund. instrument. & instit. leg. & præsertim in materia statutorum notat Barthol. in l. omnes populi ff. de justitia & jure, & facit quòd notatur in cap. Ex literis de Sponsalibus. Item in verbis dispositionis ille sensus admittendus est, quem homines formant communiter, dum audiunt illa verba. Mantica de conject. lib. 3. tit. 8. n. 4. Sed Regula Fratrum Minorum, est quoddam statutum, ac dispositio, & quidem odiosa sicut omnes aliæ prohibitiones. Ergo debet intelligi secundùm communem modum loquendi, & secundùm hanc Juris Regulam restringi & non extendi ad illa, pro quibus non accipitur in Vulgari significatione.*

B 3

CON-

(a) vide *Illumin. Moron. resp. 38. n. 25. fol. 147.* (b) *Moron. resp. 16. n. 28. fol. 45.*

*Confirmatur* secundò : Verba in lege posita juxta communem usum loquendi accipienda sunt, & ille verborum proprietati præferendus est, ut probat Glossa *cap. nonnulli verbo ultra de Rescrip. & alibi* apud Sanchez de matrimonio, lib. 6. fol. 466. Sed Regula Fratrum Minorum : Ergo Verba in ea posita juxta communem usum loquendi accipienda sunt, non obstante quòd alia esset secundum verborum proprietatem significatio, ut volunt in proposito de pecunia adversarij, præsertim Ponzanelus in sua dilucidatione. Hinc Emanuel Rodriq. qq. Reg. tom. 1. q. 11. art. 6. rectè docuit statuta, & ea quæ ad Regularem monasticamque vitam pertinent non esse interpretanda secundum rigorem & apices Juris, sed juxta æquitatem seu terminos juris naturalis & gentium.

*Confirmatur* tertio. Eadem Major. verba prolata ab incio legum sunt interpretanda secundum communem usum loquendi *l. Cum autem cap. de donat. ante nupt. à Statutarijs* verò & jurisperitis prolata debent intelligi secundum consuetudinem jurisperitorum. *l. Cum de laniationibus §. asinum ff. de fund. instru. Roman. consil. 4. Mantica de conject. lib. 3. tit. 8. n. 1. (a) furd. consil. 313. n. 87. Gonzales ad 8. Reg. gloss.*

(a) vide Moro. resp. 38. n. 24. fol. 147. wading. tom. 1. ann. ad annum 1226.

II. n. 63. Sed certum est, quòd licèt S. Pater Franciscus fuerit peritissimus rerum agenda- rum, ùt de illo scribit Wading. & Regula ipsi fu- erit dictata à Christo, ùt idem testatur ad annum 1223. tamen non fuit statutarius, & jurisperi- tus; nec apices juris de nomine sciebat; imò hujusmodi literaturæ omninò nescius fuit, & Regulam ùt ipsemet dicit in Testamento *dedit il- li Dominus, purè & simpliciter dicere & scribere.* Ergo verba Regulæ ipsius sunt interpretanda se- cundùm communem usum loquendi.

*Confirmatur* primò Major Principalis. Le- gis explicatio non potest esse melior, quàm illa quam facit legislator cap. *Per Venerabil. qui Filij sunt legitimi.* Mantica decis: 49. n. 13. Sed S. Pater loquens de sua Regula in Testamento, præ- cipit quòd verba ejus intelligantur & observen- tur simpliciter, & sinè glossa, id est simplici & communi modo loquendi: Ergo sic intelligen- da sunt.

*Quantum* ad Minorem ejusdem, quod si in communi modo loquendi nomen pecuniæ non sumatur pro eo, quod recipitur ut vendatur, vel distrahatur &c.

*Respondet* P. Pelandus negando ipsam. primò quia supponit unum falsum, nimirum: quòd verba Regulæ intelligi debeant secundùm com- munem locutionem. Secundò. quia procedit

de nomine pecuniæ solitariè sumpto, non verò combinando illud cum denariis, disjunctivè dicendo denarij vel pecunia. Nam hoc nomen pecunia (inquit) duobus modis usurpari solet, uno modo solitariè, alio modo combinando pecuniam cum denariis disjunctivè dicendo denarii vel pecunia. Primo modo nomen pecuniæ solitariè sumptum; sumitur communiter pro denariis, non pro re, quæ recipitur ut vendatur. Unde si in Regula diceret tantum: Præcipio firmiter ut nullo modo Fratres recipiant pecuniam; tunc omnes nemine discrepante intelligerent nomine pecuniæ denarios, non res quæ recipiuntur ut vendantur: verum quia Regula dicit & iterum repetit, præcipio ut nullo modo denarios vel pecuniam recipiant; ideo Viri Doctissimi docent, nomine pecuniæ aliud significari à denariis in hoc præcepto.

*Sed quantum ad primum ex dictis patet potius falsum esse, quod Regulæ verba non debeant intelligi secundum communem modum loquendi.*

*Quantum ad secundum de nomine pecuniæ sumpto solitariè, & combinando pecuniam cum denariis distinctivè. Hoc eo ipso rejicitur, quia non probatur; sed est gratis excogitatum ad eludendam difficultatem; imò oppositum deduco sic. Dictio vel aliquando stat declarativè, aliquando disjunctivè seu alternativè.*

vè. Quando stat declarativè, tunc per illam dictum prius declaratur per posterius, & tunc debet poni inter duas dictiones idem significantes seu inter duo idem significantia; ut notat Moronus respon. 7. n. 23. fol. 54. v. g. *Si quis in fundatione dicat. Nullo modo eligatur in Capellannum, nisi Sacerdos vel Presbyter, qui celebret: nullo modo accipiet tunicam vel vestem meam.* Et ita etiam particula *vel* usurpatur à Pontificibus, ut *Nicol. 3. art. 6.* Si verò contingat res hujusmodi æstimato pretio vendi &c. ordinamus & volumus quòd talis *pecunia vel pretium* recipiatur & expendatur in rem licitam. Ubi pecuniam, vel pretium sumit Pontifex pro eodem. In statutis quoque nostris cap. 4. dicitur: *Omnis Conventus habeat Procuratorem vel Syndicum Apostolicum;* ubi Syndicus & Procurator sunt idem non obstante particulâ *vel*: quando autem stat alternativè seu disjunctivè, tunc ponitur quidem inter diversa, sed ut verificetur dispositio, quæ sub ea concipitur, satis est unum fieri, quamvis alterum non fiat, v. g. si quis dicat accipies pro mercede laboris bovem vel pecuniam, satis fit dispositioni, si unum accipiat, quamvis non aliud. *cap. inter ceteras de rescriptis.* ubi Parnomitan. n. 4. & Dacian. n. 12. & alii Doctores tradunt communiter, quos citat Barbosa lib. 2. *Decret. de rescript.* fol. 32. Et constat

stat etiam ex Reg. cap. 3. non debeant equitare, nisi necessitate vel infirmitate cogantur : ad cuius dispositionis impletionem sufficit adesse unam ex his causis, quamvis non adsit altera ; ut docent Expositores. Item ex Declar. Nicol. 3. qui art. 4. §. si verò, dicit : liceat Fratribus &c. ( si ad primum dantem non possint vel nolint habere recursu ) cum ista Persona facere, sicut supra declaravimus posse facere cum prima. Ubi sufficit alterutrum non posse scilicèt, vel nolle. Et §. 5. per quorumcunque manus pecunia, seu eleëmofyna ipsa tractetur, sive per personas ab eo, vel à Fratribus nominatas &c. Item Clem. 5. cap. 4. attendant Fratres prefati, quòd pro nullis alijs causis, quàm pro dictis vel similibus in via vel alibi liceat recurrere eis. &c.

Quero modò ex P. Pelando, in dicto Regulæ præcepto particula *vel* quomodo stat ? Cum dicitur, *nullo modo denarios vel pecuniam recipiant ?* non potest dicere, quòd alternativè seu disjunctivè, aliàs ad implendum in hoc loco Regulæ Præceptum, sufficeret ut quis non accipiat pecuniam, licet accipiat denarios ; vel è contra ; quia ut dixi ad veritatem alternativæ, seu disjunctivæ negantis, ut verificetur dispositio illà habens, sufficit non fieri unum, quamvis alterum factum sit, ut ibidem probat Barbosa cum alijs, in leg. Si quis ita n. 192. in fine. ff. de verb. oblig.

*oblig. & in l. Si is qui. §. 1. versu utrū. ff. de reb. dub. Ergo debet dicere, quòd stet declarativè. Consequenter in hoc præcepto hæc duo sunt Synonima, atque idem significantia, denarij videlicet & pecunia.*

Hinc Siquensa cap. 4. textu 2. §. 9. de recurſu ad Amicos Spirituales postquam dixit, necessitati licet subvenire mediante Monetâ vel pecuniâ, subdit; *qua in isto loco pro eodem sumantur.*

*Confirmatur* : S. Pater sicut in hoc loco dat ad paupertatis puritatem spectans præceptum, præcipio firmiter Fratribus, ut nullo modo denarios vel pecuniam recipiant; *ita cap. 11. pro puritate castitatis, sub iisdem terminis dat præceptum de vitandis mulierum consortiis vel consilijs. Præcipio firmiter ne habeant suspecta consortia vel consilia mulierum*; ponens *ly vel declarativè* inter duas dictiones, fermè idem significantes, consortium scilicet & consiliū, nisi quòd una latius pateat quàm altera, nam omne consilium est consortium, licèt non omne consortium sit consilium. Unde Hieron. à Politio in cap. 11. Reg. scribens dicit, in eo tria nobis prohiberi, suspecta mulierum consortia, ingressum ad Moniales, & Compaternitates, supponens quòd idem sit non habere suspecta consortia vel consilia. Ergo etiam in hoc præcepto de Denarijs vel pecunia sic dici debet.

DICES, Eadem particula *vel* ponitur disjunctivè (quia inter diversa) in eodem cap. 4. dum dicitur: *Nullo modo &c. recipiant per se, vel per interpositam personam*, & tamen ad hoc, ut dispositio istius præcepti impleatur, non sufficit alterutrū observari, sed utrumque. Ergo quamvis etiam disjunctivè ponatur (consequenter tanquam inter diversa) inter denarios & pecuniam, non sufficiet unū observari & non aliud.

*Resp. neg. Antecedens.* Sed ponitur declarativè, quia non ponitur inter diversa formaliter; ita quòd aliud prohibeatur sub illa particula *per se*, & aliud sub illa *per interpositam Personam*; nam utrobique prohibetur denarios vel pecuniam autoritate Fratrum recipere & expendere: hæc enim formaliter sonat recipere, ut notat Sanctorius fol. 558. & includit secundam Hugonem proprietatem & usum. Possumus autem autoritatem nostram exercere, tam per nos ipsos, quam per alios; ita ut quòd ab aliis nostro nomine & autoritate fit, à nobis fieri censeatur: juxta illud: *Qui per alium facit, per se facit. de restit. Spoliator. cap. Cum venisset*: idèò S. Pater ad eisdem præcepti declarationem ponit illas duas particulas, *per se vel interpositam personam*; ita quòd illa particula *vel* ponatur inter duo idem significantia moraliter; nam persona interposita, hoc loco est velut Persona Fratris

eris representativè, fratrem representans, & in  
 ejus quasi virtute recipiens, ut dicit Marchant  
 fol. 225. unde non obstante hâc particulâ *vel* po-  
 sitâ inter denarios & pecuniam, *glossa in Clement.*  
*Exivi verbo Cippi vel trunci*, postquam assigna-  
 vit differentiam inter denarios & pecuniam,  
 quod S. Denarius est, qui pro decem nummis  
 olim imputabatur: pecunia verò propriè est  
 substantia de pecoribus proveniens &c. subdit;  
 quod tamen hic accipitur pro eodem.

*Nec valet dicere* cum Ponzanello accipi pro e-  
 odem, non quoad substantiam, sed quoad ob-  
 ligationem coarctantem Fratres ne recipiant il-  
 lam. Quia eo modo dicit, hic seu in hoc loco,  
 ubi agitur de Præcepto Regulæ, accipi pro eo-  
 dem, quo superius dixit distingvi, ut patet ex  
 particula adverbativa *tamen*, quæ ex natura sua  
 ponit in secundo casu diversum ab eo, quod po-  
 situm est in primo: aliàs inconsequenter loque-  
 retur, sed supra dixit pecuniam & denarios di-  
 stingvi quoad substantiam. Ergo hic dicit esse  
 idem quoad substantiam. Et certè hâc ratione  
 non solum denarius & pecunia deberent dici  
 idem, sed omnia prorsus ut proprietas, equita-  
 tio sinè necessitate cogente aut infirmitate &c.  
 possent dici esse idem, cum denarijs & pecunia,  
 scilicet quoad obligationem coarctantem Fra-  
 tres; cum ad omnia æquè strictè obligentur Fra-  
 tres,

tres, sub peccato nimirum mortali. Nec est alicujus momenti differentia, quam adhibuit P. Ponzanellus inter prohibitionem denariorum & pecuniæ; quod scilicet Denarij seu Pecunia numerata prohibeantur absolutè & sinè ulla exemptione, ita ut nunquam ac nullo modo licitum sit Fratri Minori (regulariter loquendo) eam contrectare: Pecunia verò largè sumpta, sive omnia quæ reduci possunt ad pecuniam numeratam, ut secundum communem accipitur, in Regula prohibetur, non sic absolutè ac principaliter, sed quatenus tendunt ad usum & contrectationem pecuniæ numeratæ; cum exceptione quod Fratres possint uti aliquibus in propria specie, quæ sunt prohibita solum, quando non sunt apta ad talem usum ad quem deservire deberent; ut quando recipiuntur aut quærentur à Fratribus mediante pretio. Hoc inquam nihil valet, quia sicut usus pecuniæ largè sumptæ, v. g. Domus, Panis, Olei, &c. aliquando est licitus, aliquando illicitus; ita usus Denariorum seu pecuniæ numeratæ, aliquando est licitus & non prohibitus, aliquando illicitus & prohibitus: ut patet in respons. ipsius P. Pellandi ad probationem P. Marchantij quintam suæ Conclusionis, & omninò æqualiter prohibetur in Regula denarius ut denarius, sicut pecunia ut pecunia, supposito quòd distingvantur.

Nec

Nec rationabiliter facit P. Ponzanellus pro parte sua trahens doctrinam Seraphici Doctoris, quasi id insinuaret in suo discursu, dum in sua Expositione c. 4. dicit præcipi, ne recipiant denarios vel pecuniam, vel ullam possessionem terrenam in pecoribus, siue generaliter in omnibus, quæ paupertatem altissimam labefaciunt; & præcipuè loquitur de pecunia numerata. Sic ille (inquit Ponzanellus) ubi verba videntur facere dictum sensum attentâ illâ dictione præcipuè, quæ de Jure majorem esse rationem ostendit, in Pecunia numerata prohibitionis, quàm in aliis: cetera tamen non excludendo, ut patet per Barbos: dict. l. 97. & 275. Et sic non solum pecunia numerata, sed & alia ad illam censentur in Regula Fratrum Minor: prohibita, quæ est communis expositorum & PP. Sententia. Hæc Ponzanellus.

Sed quàm immerito ostendo: quia Seraphicus Doctor non dicit possessionem terrenam in pecoribus, & in omnibus quæ labefactant paupertatem, esse prohibitâ in hoc C. 4. Regulæ: aliàs nec ipse distingveret Capitula & prohibitiones Regulæ, ut dicunt 4. Magistri; constat enim quòd proprietates & possessio rerum prohibetur cap. 6. loquitur ergo S. Doctor de Tribus sequentibus Regulæ capitibus, quarto scilicet; quinto, & sexto, tanquam de tribus portis spiritualis Civitatis, contra Aquilonis insidias  
muni-

munitæ, ut patet ex textu ipsiusmet, quarum prima ( id est quarta ) excludit periculum Judæ, pro pecunia Dominum tradentis ; secunda tollit periculum fictæ Religionis : tertia aufert periculum multitudinis, pro communibus appropriatis rebus contendentis : dicit ergo S. Doctor, quòd volens Dominus per S. P. Franciscum à Religione sua ( quàm Hortum conclusum, & fontem signatum immediatè appellat ) radicem avaritiæ penitus excludere, præcepit ( scilicet in his tribus Capitibus Regulæ ) ne recipiant Fratres denarios vel pecuniam, vel ullâ possessionē quæ altissimâ paupertatē labefactant. deinde de hoc cap. 4. particulariter determinans dicit & præcipuè ( id est hic cap. 4. ) loquitur de pecunia numerata, ita ut ly præcipuè referatur ad caput quartum, cætera etiam includendo in prohibitione, non in hoc, sed in aliis sequentibus capitibus. Et quòd hoc velit S. Doctor, colligitur, dum dicit in hoc cap. 4. excludi periculum Judæ Dominum tradentis pro pecunia ; quæ utique fuit numerata. Item dum dicit ulterius hoc præceptum trahi ex Evang. Matthæi 10. ubi dicitur : *Nolite possidere aurum neq; argentum neq; pecuniam.* In quo loco expositores, præsertim Cornelius putat prohiberi pecuniam numeratam, ita ut per aurum, intelligantur nummi aurei ; per argentum, argentei ;

aei; per pecuniam, quicumque alij nummi; v. g. ænci prout ibidem deducit ex Græco. *Triplex inquit Cornelius, est pecunia: Aurea, Argentea, Ænea; imò omnis pecunia ait Budæus de Affe, primò fait Ænea, deinde Argentea, demum Aurea: Ergo cùm illud præceptum idem, secundùm D. Bonav. quod ponitur in citato Evangelii loco, ponatur & in hoc cap. 4. Reg. eandem in se prohibitionis continebit materiam, ita ut denarij & pecunia utrobique sumantur pro pecunia numerata, ac ita sint ferè Synonyma juxta D. Bonaventuram.*

*Probatur secundo Principalis assertio, quòd scilicet pecuniæ nomine in Regula Fratrum Minorum non possit intelligi res omnis, quæ recipitur eo animo ut vendatur, aut distrahatur &c. sic: Nicol. 3. in Extravag. Exiit qui seminat &c. per mittit Fratribus Minoribus, accipere legatum alicujus domûs, agri &c. Ut per personas idoneas vendatur, & pecunia in Fratrum necessitates expendatur. Ergo secundùm Nicol. 3. legatum, sive domus quæ acceptatur, non est pecunia; sed potiùs pecunia ex domûs venditione conflatur, quæ tum demum per personas idoneas in necessitates convertitur: Ergo nec similiter granum, aut aliud quodvis (exceptis denarijs) quòd Frater Minor recipit ad hoc, ut per Personas idoneas vendat, distrahat, aut com-*

G

mu-

mutet reputari debet pecunia formaliter, quamvis ex illa re pecunia conflare possit.

*Respondet P. Pelaudus* negando hanc secundam Consequentiam : Ergo nec similiter granum, & assignat disparitatem inter legatum domus, & granum mendicatum. Legatum enim (inquit) domus non est pecunia respectu Fratrum; quia venditur à personis idoneis de intentione & auctoritate legantis; & ab eo deputatis; non auctoritate Fratrum, qui nullam in tali legato auctoritatem habent, nec habere possunt. Nec aliud facere possunt, quam manifestare dictis personis suas necessitates, servando omnes conditiones à Nicol. 3. circa pecuniam assignatas. Sed granum mendicatum ut vendatur est pecunia respectu Fratrum; non solum, quia intendunt commutare granum in denarios, vel uti grano loco denariorum dando illud pro aestimato pretio, pro emptione aliarum rerum, vel pro solutione debitorum: sed etiam quia granum non venditur à donantibus, nec à personis idoneis, à donantibus deputatis, nec de eorum intentione & auctoritate; sed venditur vel à Fratribus, vel à personis à Fratribus deputatis, quæ non possunt esse Personæ idoneæ, sed potius sunt personæ interpositæ contra Regulam. Sed

*Contra primo.* Ut aliquid non fiat auctoritate Fratrum, non est prohibitum in hoc capite de pecunia, sed id prohibetur cap. 6. ut benè advertunt

tunt

tunt 4. Magistri cum Hugone in cap. 4. Regulae : Ergo quòd venditio fiat autoritate Fratrum non erit contra hoc præceptum, sed contra illud sextum, consequenter venditione autoritate Fratrum fieri, non erit recipere pecuniam, sed potius appropriare sibi aliquid.

Confir. Statuta Reformat. Generalia Romana 1643. confirmata ab Urbano 8. in cap. 6. Reg. n. 5. decernunt sic : *vendere vel procurare ut vendantur quocunque modo res, quæ nascuntur in hortis nostris, est proprietas : sicuti etiam esset vendere res procuratas pro usu Fratrum, nisi fortasse haberetur licentia ab ipso donante; & hoc fieret mediante Syndico Apostolico, & propterea debent tales puniri in proprietarij.* Ergo secundum Statuta Fratres recipientes, procurantes &c. res ad vendendum, distrahendum, impingunt in præceptum de proprietate vitanda, non in præceptum de pecunia non recipienda. Quamvis enim hic Statutum loquatur expressè de rebus procuratis pro usu Fratrum, tamen de his, si vendantur, distrahantur, & locò denariorum operarijs & Mercatoribus dentur, eadem est ratio secundum P. Pelandum suæ lucis fol. 34. ac de illis quæ mendicantur, recipiuntur, ut vendantur, commutentur &c. quantum ad rationem pecuniæ.

*Confirmatur secundo : Non est necesse, quòd*

Fratres procurando & mendicando granum, oleum &c. ut vendatur, intendant commutare granum in denarios, vel uti grano &c. locò denariorum, sed possunt circa hæc ita se gerere, sicut dum acceptant legatum, v. g. Agrum, Vineam &c. ut vendatur, & pecunia in eorum necessitates commutetur, scilicet intendendo solum res sibi necessarias in specie: & venditio fieri potest vel per amicum spiritualem, auctoritate donatarii (cujus si in similibus casibus de aliqua causa rationabili non possint habere expressam, præsumptam seu interpretativam licentiam & voluntatem ajunt sufficere Expositores, præsertim Politius *in cap. 4. Reg. fol. 380. n. 34. §. si indeterminate &c.*) vel auctoritate Pape per Syndicum, si dominium rei sibi non reservavit donator: Ergo saltem taliter recipere res, ut granum, oleum &c. ut vendatur, non erit recipere pecuniam, hoc autem sufficit intentioni Patris Marchant. Nec sanè apparet ratio: Quare Fratres acceptando legatum domûs v. g. agri &c. ut vendatur, & pecunia in eorum necessitates convertatur, non intendant legato illo uti loco denariorum, consequenter non recipiant pecuniam? Et quare mendicando granum, oleum &c. ut vendatur & pecunia in eorum necessitates convertatur, intendant uti grano, oleo &c. locò denariorum, & consequenter

ter recipiant pecuniã? vel quare possint facere illa legata vendi authoritate alienã, scilicet vel Ecclesiã, vel dantis, & quare non possint ita vendi facere granum, oleum &c. sed authoritate propria.

*Contra secundo*: Dato non concessio quòd res mendicatæ ut vendantur, distrahantur &c. sint pecunia, certum tamen est ex Corduba in cap. 4. q. 4. punct. 3. res illas non prius posse habere rationem pecuniæ, quàm re ipsã & ex pacto intervenire solito inter emptorem & venditorem tales res tradantur: Ergo quando petuntur & accipiuntur à Fratribus, & quàm diu manent in manibus Fratrum non sunt pecunia respectu Fratrum; neque est receptio politica pecuniæ respectu ipsorum, si non accipiuntur, ut authoritate Fratrum vendantur, aut distrahantur (ut supponitur posse imò debere omninò fieri) quia non convenit eis definitio pecuniæ, neque receptionis pecuniæ per se, consequenter solùm respectu amici spiritualis distrahentis, seu respectu ejus, cujus authoritate venditur, seu distrahitur, est pecunia, & politica receptio pecuniæ. Et concordant cum his expressè: *Sunt Angel. tit. pecunia, & sum Ros. eodem tit. & speculum ff. 6. & Tab. 19. Vicarij Generalis ubi habetur*, quòd res quæ petuntur ut distrahantur, tradantur amicis spiritualibus distrahendæ. vid. Cord, loc. cit.

*DICES* cum P. Pelando : Syndicos & Procuratores. Papæ non esse personas idoneas ad vendendum granum, oleum &c. & alias res mendicatas hæc intentione à Fratribus, ut vendantur : quia tale dominium ad Ecclesiam Romanam & Papam non pertinet. Pontifex enim recipit dominium solùm rerum mobilium, *quæ sunt in usu Fratrum & Ordinis, & interdum contingit eas vendi aut commutari ob vetustatem, aut inutilitatem : non autem mobilium, quæ recipiuntur ut vendantur, ut patet ex Nicolao 3. art. 6. §. Quia verò.*

*Ad hoc antequam respondeam :* prænoto, in hac Instantia P. Pelandi involvi quæstionem minimè in praxi utilem, ad puritatem observantiæ Regulæ Minoriticæ, sed magis curiosâ & speculativâ : an scilicet pecunia Fratribus pro necessitatibus præsentibus vel imminentibus donata, vel pro laborio oblata, aut ex testamento legata, cujus dominio dantes omninò renuntiant, maneat in Dominio Papæ seu Ecclesiæ Romanæ ; sic enim illam resolvit *Cordub. fol. 397. ex D. Bouvo. in Epist. ad Magist. Innominat. quod non pertinet scire ad Fratres, cujus sit illa pecunia ; sicut neque de aliis rebus aliorum hominum pertinet ad Fratres scire, cujus sint, cujus non : dummodo ipsorum Fratrum non sint omninò : & hoc sufficit ipsis Fratribus pro ipsorum conscientia.* hæc ille, & concordat

cordat Hugo cap. 4. dicens : *Non tibi dat quisquam nisi vult expropriari : nec tu quid recipis, nisi velis ei dominari. Namque recepta data, sibi sunt adversa relata : dans suo privatur, recipit qui post dominatur* : nam sine consensu vero, vel interpretativo saltem tacito, vel probabiliter præsumpto non acquiritur ulla possessio, etiam in foro humano, ut D. Bonav. cap. 4. ait. Vide Chronicon de Sancto Patre, qui expulit Fratres ex domo Bononiensi, eò quòd dicebatur domus Fratrum, *part. 1. lib. 2. cap. 20.*

Particulariter tamen ad Instantiam Respondendo.

*DICO primò : Personas idoneas ad vendendum granum, oleum, & alias res mendicatas à Fratribus intentiones eas vendendi ( dato non concessò, quòd essent pecunia ) esse vel ipsismet Benefactores granum, oleum &c. dantes ; vel substitutos ab ipsis, quodsi ipsemet nolint vendere commutare &c. nec etiã per se substituere ut secundùm Cordu. ad cap. 4. quæst. 9. fol. 384. in quotidianis mendicationibus probabiliter creditur fieri, tunc Fratres debent eis depositarium nominare quemcunque voluerint, qui ex consensu expresso, vel probabili præsumpto ipsorummet dantium distrahat, vel vendat illud granum, oleum &c. cujus substituti munus potest obire etiam Syndicus Apostolicus, si ita Benefactori placuerit. Unde E-*

manuel Rodericus tom. 3. quæst. 39. postquam adduxit auctoritatem Statutorum Generalium Toletanorum decernentium non esse contra Regulam uti Syndico etiam ad deponendum pecunias secundum *Martin. 5. Constit.* Ipsemet hoc ( præ suppositis necessitatibus veris, præsentibus, vel imminentibus ) esse sine dispensatione & relaxatione Regulæ deducit. Pecunia enim ( inquit ) prædicta in nomine dantis apponitur, qui prædictis necessitatibus providet secundum Declarationem *Nicol. 3. & Syndicus* apponitur & constituitur à Papa (*scilicet Martin. 5.*) ut quædam Generalis Persona, quæ nomine dantis prædictam pecuniam consumat, in quo exonerat ipsum dantem ab inquisitione alicujus personæ, cui talis pecunia suo nomine conservanda tradatur; dantes enim, eleemosynam facientes dictis Fratribus, nolunt Personam quærere, dicentes eos satisfacere, eleemosynam largiendo, & non intelligentes Regulam prædictorum Fratrum, ad eos inquisitionem prædictæ personæ remittunt. Et hæc responsio ut magis conformis Regulæ juxta *Declar. Nicol. 3.* in praxi amplectenda. Quia tamen P. Marchantius tenet secundum puritatem Regulæ, rerum hujusmodi, ac pecuniarum, quas à se dantes omninò repudiant, dominium devolvi ad Sedem Apostolicam, secundum ipsius fundamenta ad præfatam P. Pelandi instantiã.

DICO secundo: *Personas idoneas ad vendendum granum, oleum, &c. esse Syndicos Apostolicos, tanquam Sedis Apostolica delegatos.* Neq; hoc ad-  
 versatur decisioni Nicol. 3. qui licet §. *Quia ve-*  
*rò.* recipiens in dominium res Fratrum, expressè  
 nō loquatur de rebus mendicatis, ut vendantur,  
 aut distrahantur &c. sed solum de rebus, quæ  
 erant in usu Fratrum; tamen etiam istæ jure com-  
 muni & antiquo in illius dominium devolvun-  
 tur ad effectus licitos & intentos, prout ipsemet  
 Nicol. §. *ad hæc*, innuit, ostendens ea, quæ prop-  
 ter DEUM offeruntur ad Sedem Romanam, &  
 Pontificem devolvi ( si dominium sibi donantes  
 non reservarunt ) quod & contingit in admini-  
 stratione honorum hospitalibus, Xenodochiis,  
 vel mensæ pauperum, relictorum, quæ ( si do-  
 nantes aliud non exprimant ) in administratio-  
 nem Episcoporum, tanquam Sedis Romanæ dele-  
 gatorum transeunt. vide *Concil. Trid. Sess. 22. de*  
*Reformatione cap. 6. & 8. Et Sess. 25. de Reforma-*  
*tione cap. 4.* Imò aliquando in Administratione  
 Reipublicæ transire solent jure ordinario. Vide  
*Barth. in Minorica. l. 2. dist. 4. §. 2. & §. 3.* Er-  
 go seclusâ etiam ordinatione particulari Ponti-  
 ficis, jure communi res illæ, quæ recipiuntur ut  
 vendantur, commutentur &c. quarum domi-  
 nium dantes sibi non reservant, pertinent ad do-  
 minium Papæ. Nec sanè est ulla ratio concer-  
 nens

nens puritatem Regulæ nostræ, cur hujusmodi res non maneat in Dominio Papæ, sicut & illæ, (suppositâ necessitate præsentis, imminenti Fratrum, & quòd dantes renuntient dominio taliũ rerum) Ergo sunt in Dominio Papæ.

*Si dicas* : Pontifex citato articulo expressè dicit se non recipere in Dominium suum illa, quæ recipiuntur eo animo ut vendantur, distrahantur &c. ergo nõ potest dici, quòd recipiat. Resp. Antecedens debere intelligi de ijs, quæ venduntur, distrahantur, ad superfluitatem, divitias, seu copiam derogantem paupertati : sicut nec utensilia, nec ulla alia, quorum secundùm se usum ad necessitatem, & officiorum sui statûs executionem licet habere, recipit in dominium ; si similiter ad superfluitatem, & divitias recipiantur : unde subdit ; quinimò in omnibus appareat in eis quoad dominium omnimoda abdicatio, & in usu necessitas. Nos autem loquimur de illis, quæ recipiuntur ut vendantur, distrahantur, & sunt necessaria ; si non in se immediatè, in illis tamen, quæ per illa acquiruntur. Quòd autem debeant sic intelligi verba Pontificis patet : quia postea domos, agros, Vineas &c. permittit recipi, ut per personas idoneas vendantur, distrahantur &c. ut toties repetitum est : quod non esset verum, si simpliciter omnium rerum, quæ eo animo recipiuntur

untur ut vendantur, renuntiaret dominio. Unde Pater Hier. à Politio in cap. 6. Reg. scribens, n. 16. postquam determinavit pecuniarum, armorum, equorum &c. ad Dominium Ecclesiæ Romanæ non spectare, subdit, *attamen pecuniaria legata, quæ Fratribus fiunt, eorumq; dominium, Romana Ecclesia in se recipit, si Fratres illis indigerint saltem quoad auctoritatem illa dispensandi. ut eoe Bull. Mart. 4. patet: Ex quo, nomine Ecclesiæ & ejus auctoritate Syndicus Papæ ea potest recipere, petere & expendere in Fratrum necessitates; ut sup. c. 4. dictum est. Hæc ille censens hanc Martini provisionem non contrariari Regulæ puritati. Et Declarationibus Nicol. 3. & Clem. 5. & in caput. 4. Idem. & in cap. 4. Reg. idem author scribens num. 37. ad finem, habet sic: *Pecunie dominium, quod dans nullo modo apud se esse vult, secundum Innocentium, Nicolaum & Clementem predictos, in suis declarationibus erit Ecclesiæ & auctoritate ipsius Ecclesiæ in necessitates Fratrum expendetur. Quod habetur expressè in serena Conscientia, ubi etiam dicitur, quòd Martinus 5. se in hac parte gessit secundum Declarationes Nicol. & Clementis vid. ibi quæst. 53.**

*Confirmatur, Res illæ receptæ ad vendendum, commutandum &c. pro necessitatibus Fratrum præsentibus vel imminentibus, debent esse aliqujus*

cujus Domini, nec manere sub incerto Dominio: Sed non sunt Fratrum; quia suppono non velle Fratres illarum dominium sibi usurpare; nemo autem invitus potest esse dominus alicujus rei: nec sunt dantis, quia illas abdicavit, ut suppono, aliàs non esset verum, quod dicit Pontifex per talem abdicationem res constitui in incerto Dominio; sic enim discurrebat *Papa Art. 3. §. ad hæc: Cùm Fratres ipsi nihil sibi in specie acquirere, vel eorũ ordini possint etiam in cõmuni, & cùm aliquid ipsis propter Deum offertur, conceditur, vel donatur, ea (si secus non exprimat) offerentis, concedentis, vel donantis verisimiliter credatur fuisse intentio, ut rem hujusmodi concessam, oblatã, vel donatam perfectè concedat, donet & offerat, à se abdicet, & in alios transire cupiat propter DEUM; nec sit Persona in quam loco DEI congruentiùs Dominium hujusmodi transferatur, quàm Sedes præfata, vel Persona Romani Pontificis Christi Vicarij, qui Pater est omnium, & Fratrum Minorum nihilominus specialis: ne talium rerum sub incerto videatur esse Dominium &c.* Ergo dicendum est quòd talium rerum quæ recipiuntur, ut vendantur, distrahantur &c. pro necessitatibus Fratrum, dominium maneat, apud Summum Pontificem, ne maneat sub incerto dominio; supposito quòd dantes eorum dominium à se abdicent. Hinc Statuta Generalia Reformatorum de Syndico ad

4. caput Regulæ, n. 3. decernunt in hunc modum: *Quilibet Conventus habeat Procuratorem, vel Syndicum Apostolicum, vel ad summum unum alium Substitutum, & tales & non alij nominentur à Patre Generali, vel Provinciali, ut habeant curâ Eleëmofynæ pecuniaria assignata pro necessitatibus præsentibus, vel imminentibus, casu quo ille qui dedit, nollet servare.* Et pro hac decisione adducunt Nicol. 3. & 4. Martinum 4. & 5. Eugenium 4. Sixtum 4. Vallis. 1593. Ergo supponunt Statuta etiam secundum Nicolaum 3. habere auctoritatem Syndicum à Sede Apostolica recipiendi in dominium Ecclesiæ etiam pecuniarias Eleëmofynas, pro necessitatibus Fratrum præsentibus vel imminentibus oblatas, casu quo offerentes non reservarent sibi dominium: neque enim Generales & Provinciales auctoritate propriâ possent ad hoc tales nominare Syndicos; aliâs non essent Syndici, sed personæ interpositæ. Item eadem Statuta n. 4. declarant, Syndicum non solum habere auctoritatem à Sede Apostolica, vendendi, comutandi &c. res, quæ sunt in usu Fratrum, & factæ sunt inutiles; sed etiam recipiendi nomine Sedis Apostolicæ omnia mobilia, & immobilia Fratribus oblata, vel Testamento relicta: sic enim dicunt: *Declaratur autem quòd possimus uti Syndico in duobus tantum casibus, quorum primus est, ut possit recipere nomi-*

ne Sedis Apostolica omnia mobilia & immobilia Fratribus oblata, donata, vel relicta in Testamento. Secundus est casus, ut possit nomine Sedis Apostolica vendere, alienare, vel commutare res, quibus non possunt Fratres licite uti, vel quae sunt inutiles, & pretium convertere pro necessitatibus Fratrum. Ergo falsum est, quod Pontifex recipiat in Dominium solum illa, quae sunt in usu Fratrum, & interdum contingit vendi ea, vel distrahi &c. quandoquidem Statutum dicit quod etiam res, quibus Fratres non possunt uti, & universaliter omnia mobilia & immobilia, oblata, donata, &c. Syndicus accipiat nomine Sedis Apostolicae, consequenter falsum est, quod Syndicus non sit persona apta ad vendendum res oblatas Fratribus hac intentione, ut vendantur, commutentur &c. Item Statuta Generalia apud Sanctorum cap. 4. Stat. 3. ordinant sic: *Eleemosyna omnes Pecuniariae pro necessitatibus Fratrum quoquo modo advenientes per Syndicos Apostolicos de consensu Praelati tantum expendantur.* Item Statuta Generalia Reformatorum ad Cap. 4. Reg. n. 10. dicunt. *Declaratur Proprietarius, quicumque procurat res ad commutandum illas propriae auctoritate, in alias licet necessarias; quia hoc esset contra Regulam; nisi hac commutatio notificetur danti. Postea subdunt, & tunc debet fieri mediante Syndico.* Ergo supponunt Statuta, & quod Fratres res ad

com-

commutandum, distrahendum &c. propriâ authoritate procurantes peccant contra præceptum de non appropriando; non verò de non recipiendo pecuniam; & ulterius quòd Syndicus Apostolicus sit Persona idonea ad commutandas, distrahendas &c. hujusmodi res. Sed non posset esse Persona ad hoc idonea, nisi haberet authoritatem ab Ecclesia, seu Pontifice Romano; nec Pontifex posset dare authoritatem talem nisi reciperet in Dominium Ecclesiæ res taliter receptas, (supposito quòd dantes non reservent sibi dominium.) Ergo recipit illas in Dominium.

*Confirmatur. Nicol. 3.* recipit in Dominium Ecclesiæ omnia mobilia præsentia, & futura, quorum usum facti scilicet Ordini vel Fratribus ipsis licet habere: Sed rerum quæ recipiuntur ut distrahantur &c. usus facti est licitus Fratribus; nam grano mendicato eo animo, ut vendatur, possum licitè uti, in ea quantitate, quæ mihi necessaria est; similiter equo, mihi ut vendatur oblato, possum aliquo tempore uti, pro necessario opere antequam vendatur. Ergo & istas recipit in dominium Ecclesiæ.

*Nec valet dicere cum P. Pelando;* quòd rebus mendicatis ad hoc ut vendantur solum possumus uti secundum suam speciem, & materialiter; non autem ut suppleant vicem denariorum, seu receptis ad vendendum, & in denarios commutan.

mutandum : quia sic sunt pecunia. Non valet, inquam, quia ut superius ex Corduba ostendi, res illæ dum mendicantur, recipiuntur &c. & quamdiu sunt in manu Fratrum, non sunt pecunia. Deinde ut idem Corduba c. 6. q. 2. dicit, Dominium omnium rerum, quarum usus Ordini nostro in sua materia aliquo modo licitus esse potest ad Papam & Ecclesiã Romanã pertinet; quamvis sit illicitus ratione circumstantiæ, scilicet ratione qualitatis, quantitatis, modi, finis, temporis &c. quam sententiam *Politi* in C. 6. vocat probabilem. Unde idem, *Corduba cap. 6. q. 3. fol. 529.* expressè elicit ex *Nicol. 3. loc. cit.* Quod si res sint modo pecuniario acceptæ, id est eo animo ut vendantur, seu distrabantur, contractus venditionis, conventio seu æstimatio pretij, & dominij translatio, fiat per Syndicum Papæ; & non per Fratres, vel alium à Fratribus interpositum. Ratio est, quia inquit *cùm res tali animo accepta, sit verè pecunia non potest nisi per Syndicum quando pertinet ad Papam; vel per amicum spirituales, quando ejus dominium pertinet ad aliũ, distrabi aut alienari: Quamvis possit per Fratres ipsos recipi & transportari. Et in hoc omnes Doctores concordant & Statuta de his agentia, de quo non est dubium.* Hæc Corduba. Videat nunc P. Pelandus, utrùm rectè P. Marchant ex Textu Nicol. 3. supra citato, colligat Per-

personam idoneam ad vendendum granum &c. mendicatum à Fratibus, ut vendatur esse Syndicos & Procuratores Papæ, supposito quòd sibi dominium non reservaverint donatores: si hoc licuit Cordubæ, tenenti taliter mendicata ut vendantur, esse pecuniã: Loquens porrò citatus Corduba de rebus non pecuniario modo receptis, scilicet nõ eo animo, ut vendantur; sed principaliùs animo utendi illis in usibus Fratrum, quæ postea factæ inutiles debent vendi: quærit utrùm necessariò contractus venditionis debeat fieri per Syndicum, quando res pertinent ad Papam, vel per Amicum spirituale, quando pertinent ad aliũ, an verò possit fieri per ipsos Fratres personaliter? Et Respondet licere id Fratibus personaliter vendere, & contractum venditionis facere, & conventionem seu æstimationem pretij de licentia Prælatorum & Domini talis rei, secluso scandalo; idq; multis probat.

*Probat*ur tertio. Nicol. 3. volens patenter distingvere res, quæ legantur ut vendantur, à pecunia: pecuniam de rebus ipsis acceptam, à rebus distingvit, & legatum pecuniarium, à legato rei alicujus ad venditionem relicto: Ergo sicut legatum domus, ut vendatur non est pecunia; quia à pecunia distingvitur; nec similiter granum, à Fratibus mendicatum ut vendatur, reputari debet pecunia formaliter.

*Respondet* P. Pelandus neg. Consequentiam. Quia ibi Pontifex dum distingvit legatum pecuniarium, à legato domûs vel alterius rei ad vendendum relictae, & pecuniam de rebus ipsis acceptam, ab ipsis rebus; ibi sumit nomen pecuniae pro denarijs, non pro pecunia, quae in Regula à denarijs distingvitur, ut clarissimè patet ex Textu ipsius.

*Sed Contra.* Pecunia quae à denarijs in Regula Fratrum Minorum distingvitur; non est aliud per P Pelandum, quàm res ad vendendum mendicata, vel recepta: Sed quando Pontifex domum, vineam &c. ad vendendum legatam, distingvit à pecunia, & legatum pecuniarium, à legato rei alicujus ad vendendum relicto; hoc ipso negat, rem ad vendendum receptam seu mendicatam, esse pecuniam, in Regula Fratrum Minorum; ut patet. Ergo secundùm ipsum nõ datur pecunia in Regula Fratrum Minorum, quae distingvatur à denarijs. Non enim potest assignari quid illud sit secundùm P. Pelandum; si non esset res ad vendendum mendicata seu recepta; Ergo nomen Pecuniae debet in Regula Fratrum Minorum sumi pro denarijs, sicut sumitur à prædicto Pontifice.

*DICES.* Pecuniae nomine in Regula Fratrum Minorum debere intelligi, rem ad vendendum acceptam, seu mendicatam Fratrum authoritate;

te; unde clarum est, quòd sicut, si Fratres legatum domûs, aut vineæ &c. acceptarent, ut propriâ authoritate eandem venderent, vel vendi facerent; hoc esset recipere pecuniam contra Regulam; quæ adhuc distingveretur à legato pecuniario, id est denariorum: ita etiam granum mendicatum ut vendatur est verè pecunia, prout pecunia distingvitur à denariis.

*Sed Contra.* Ex hoc confirmatur nostra superius adducta instantia, quòd scilicet, sicut licet possit legatum domûs, vineæ &c. ut vendatur esse pecunia, si acceptetur ut Fratrum authoritate vendatur, non est tamen defactò, quia suppono non acceptatur ut taliter vendatur. Ergo similiter dato non concesso, quòd granum mendicatum, ut vendatur authoritate Fratrum, esset vera pecunia; tamen etsi mendicetur, acceptetur, ut vendatur modò non authoritate Fratrum, ut bene potest; (imò & debet semper, etiamsi non esset pecunia) non erit pecuniæ receptio contra Regulam. Nec potest quisquam sibi rationabiliter imaginari, quòd quando P Marchant asserit non esse pecuniam res mendicatas ut vendantur; intendit per hoc concedere Fratribus, ut id fiat authoritate ipsorum: quia secundum ipsum, si non contra hoc Præceptum de non recipienda pecunia; adhuc peccarent contra præceptum de appropriatione,

*DIXI dato non concesso*; quia ut dixi supra Fratres mendicando res ut venderentur eorum auctoritate, potiùs necesse est ut peccent contra præceptum 6. de appropriatione, quàm contra hoc 4. de non recipienda pecunia.

*Probat*ur quartò Conclusio Principalis. *Nicol. 3. art. 9.* agens de commutatione mobilium, quæ expedit commutari; vult talium rerum commutationem fieri auctoritate Ministrorum. Ergo tales res pecunia non sunt. Consequentia patet. Quia nullam auctoritatem in pecuniaria dispositione ex Regula Ministri possunt habere.

*Respondet* P. Pelandus ex Doctrina ipsius Patris Marchant, in suo tract. de institutione Syndicorum pag. mihi 752. Duplicem esse auctoritatem, unam juridicam, cujus non est capax Frater Minor, alteram solùm directivam, & consultivam; Et de hac solùm loquitur *Nicol. 3.* consequenter inquit *præmissa probatio nil valet ex doctrina ipsiusmet Marchant.* Sed

*Contra.* Probatio hæc optimè valet ad hominem. Quod ostendo sic: si res mobiles, quas expedit commutari, essent pecunia respectu Fratrum, ex eo quòd intendant illas in denarios convertere, aut locò denariorum eis in pretium rerum emendarum, vel emptarum uti (ut vult P. Pelandus) sequeretur, quòd auctoritas etiam

consultiva & directiva esset prohibita Fratribus per Regulam; in commutatione, distractione, &c. talium rerum. Sed hoc est absurdum, contra Declarationem Pontificis. Ergo &c. Sequelam Probo. Consulens, dirigens rem aliquam, intendit illam. Ergo Frater Minor consulens, dirigens commutationem, venditionem aliquarum rerum mobilium, quas expedit commutari, vendi &c. intendit illam commutationem, venditionem &c. Consequenter conversionem illarum rerum in denarios in pretium rerum emendarum, vel emptarum &c. Ergo res illae commutandae, vendendae &c. erunt pecunia ex Regula prohibita respectu Fratris Minoris. Ergo autoritas etiam directiva & consultiva, erit prohibita Fratribus in commutatione, distractione &c. talium rerum.

*Probat*ur quintò. Per hanc Regulæ prohibitionem, non tantum prohibetur nobis possessio & proprietas illius rei, quæ est pecunia; sed etiam usus: Atqui rei, quam accipio ut vendam, v.g. domus &c. usus non est mihi prohibitus: Ergo non intelligitur nomine pecuniæ &c.

*Respondet* P. Pelandus, distingvendo Minorem. Rei quam accipio ut vendam, v.g. domus, usus non est mihi prohibitus, secundum speciem suam ut domus est, scilicet ad inhabitandum

dum, Concedit. Usus non est mihi prohibitus, ut utar locò denariorum, vel ut recipiam domum ad vendendum, & in denarios convertendum. Negat: & similiter distingvit Conseq. Non est pecunia, si sumatur primo modo, Concedit: si sumatur secundo modo, negat, & exemplificat in denariis, quorum usus non est nobis prohibitus, ut sunt aurum, v. g. ad deaurandum calicem, sed tamen est prohibitus ut denarius formaliter, id est ad necessaria emenda &c.

*Sed Contra.* Domo licitum est uti Fratibus non solùm ad habitandum, sed etiam ad vendendum per idoneas personas, & in denarios convertendum, ut patet ex Declar. Pontif. præfertim Nicol. 3. qui permittit absque præjudicio Regulæ, legata domorum, agrorum &c. acceptare Fratibus ut vendantur per Personas idoneas, & pecunia de rebus ipsis accepta, in Fratrum necessitates convertatur. Ergo etiam sic sumpta domus, &c. non est pecunia.

*Probatursextò.* Ex vi Regulæ possumus sæpè nonnulla facere ut vendantur, vel distrahantur. Ergo nomine pecuniæ non intelliguntur: Antecedens Probaturs. Licet Fratri inori, pictoriæ vel scriptoriæ artis peritò, pingere imagines, scribere libros, eâ intentione, ut imagines & libri per Personas ad hoc idoneas vendantur, & distra-

distrahantur, ut pretium laboris in necessaria Fratribus applicetur. Ergo imagines pictæ, & libri scripti eâ intentione, quòd vendantur, vel distrahantur; pecunia dici non possunt. Antec. patet. Quia licet Fratri scriptori, vel Pictori & intendere & recipere pretium laboris, modò pecuniam non recipiat. Ergo licet intendere ut vendantur, & necessaria illi subministrantur.

*Respondet P. Pelandus primò. Neg. Antecedens. Nam Statuta Generalia Ordinis prohibent res venales facere, hoc enim repugnare videtur tant Religioso statui, quàm Minoritice Paupertati. & ideò in Clem. Exi. vi. §. Licet verò, declaratur hoc repugnare Regula & Ordinis paupertati, & recipere pretium rerum, ad naturam & Formam proventuum appropinquat. primò inquit Antecedens repugnare doctrinæ Patris Marchant, quia in cap Reg. 6. dub. 3. textu 4. docet non licere Fratribus procurare materias, v. g. corium, membranam &c. mediante pecuniâ, ut in illis operentur, & postea per Syndicum aut alios, aestimato pretio vendantur; quia hic intervenit quoddam genus negotiationis; contra puritatem vitæ Fratrum Minorum. Non possunt autem Fratres imagines, libros de nihilo facere. Dixi per se & ex natura emptionis, quia potest quis curare emi. materiam, non nomine, nec in suam utilitatem, sed in eius pro quo in re operatur.* Secundò permisso Antecedenti Negat.

Consequentiam Quia (inquit) non solum res artificiales, quae fiunt à Fratribus ut vendantur, & in denarios convertantur, vel loco denariorum deserviant, sunt verè pecunia, sed etiam res quae sunt in usu Fratrum, licet non ad venditionem, sed ad usum recepta; si vendantur & in denarios convertantur, aut loco denariorum operariis vel mercatoribus dantur in pretium, verè sunt pecunia. Et ad hoc adducit prohibitionem B. Patris Capistrani in suis Constitutionibus c. 6. dicentis: Caveant insuper Fratres, nè panem vel Vinum, vel alia mendicata, sive oblata pro usu Fratrum distraherent aut vendant, vel vendi faciant, sive pro alia re permutent, vel pro satisfactione fienda cuiquam traant; sed per alios licitos modos satisfieri procurant illis, quibus fuerit satisfactio rependenda. Itè ex Julio 2. in statutis cap. 4. ubi clarè dicitur, quòd talia facere, vel tali nomine recipere vel retinere sit pecuniam recipere & habere. Tertio Ad res venales redeundo P. Pelandus, sic ratiocinatur: Fratres alià re pollentes, ut Pictores, Scriptores &c. vel laborant in materia aliena, vel in materia ab ipsis procurata & recepta, ut per eorum artem alteratam vendant, vel vendi faciant? Si primo modo? tunc licitè & ex Regula de mercede laboris corporis necessaria recipere possunt. Si secundo modo? tunc dicit talem materiam esse veram pecuniã contra Regulam, etiamsi illa materia esset recepta pro mercede  
sui

*sui laboris, & multò magis pecunia esset, si reciperetur cum intentione vendendi vel distrahendi absq̃ ulla alteratione. Et sic patet (ait) non valere Consequentiam. Sed*

*Contra Statuta Generalia citata solùm prohibent res venales facere, quando id repugnaret Statui Religioso, & Minoriticæ paupertati (quod sine dubio tunc esset, si venditio fieret per ipsos Fratres imediatè, aut ipsorum autoritate; secùs est, si fiat per Syndicum Apostolicum) quod probatur quantum ad primum. Quia eadem Statuta Generalia apud Sanctorum in c. 4. fol. 283. ad finem de Eleëmofynis sic disponunt. De Eleëmofynis nil vendi, nil emi, aut disponi sinè Syndico Apostolico possit. Hoc enim Jus ostendit. Ergo statuta supponunt quòd mediante Syndico emi & vendi possint: præsertim si nullum in his prætendatur jus. Clementina quoque citata non loquitur de rebus quæ reciperentur aliquando, ut mediante venditione vel commutatione eorum, provideretur necessitati Fratrum; sed de hortis, vineis &c. quæ colerentur à Fratribus, ut olera & alia hortalia ex ipsis, pretio distrabantur. Patet autem quòd licèt hoc secundum repugnet paupertati, & accedat ad naturam proventuum; non tamen primum. Adde quòd tam Statuta Generalia, quam Clementina, prohibent res aliquas vendi vel distrahi,*

non titulo receptionis pecuniæ, sed titulo paupertatis non violandæ. Consequenter falsum est, quòd rē aliquam tenere, vel recipere ad vendendum, sit tenere vel recipere pecuniã: sed potiùs erit violatio paupertatis; si hoc fiat sinè necessitate præsentis vel imminenti, vel auctoritate Fratrum.

*Ad illud* quod adducit ex doctrina Patris Marchant, patet clarè, ipsum, dum negat procurare tales res mediante emptione, loqui de emptione propriè sumpta, quæ fieret nomine Fratrum. Quamvis autem non liceret nomine proprio, & in utilitatem ipsorummet, potest tamen licere, non nomine suo, nec in utilitatem suam, sed in utilitatē ejus, pro quo in re laboratur: ut in ulteriori contextu P. Marchant affirmat. Similiter potest licere procurare illas, mediante mendicatione, vel recipiendo pro mercede laboris; & sic Fratres non ex nihilo facient libros &c. sed ex Materijs sic procuratis. Ergo falsum est, quòd Antecedens repugnet doctrinæ Patris Marchant.

*Quoad secundum.* Dum permissio Antecedenti, negat. Conseq. Probo illam sic: Ex vi Regulæ non possumus retinere, recipere vel habere pecuniã, ipsaque uti: Ergo supposito, quòd Antecedens sit verum (ut permittit Pellandus) scilicet nos posse ex vi Regulæ, sapius non-

nonnulla facere ut vendantur, distrahantur; manifestè sequitur, hæc nomine pecuniæ non intelligi in Regula.

*Ad auctoritatem ex B Joanne Capistrano, dico.* Quòd licèt hic Beatus, prohibeat in suis Constitutionibus emptionem & venditionem, commutationem rerum mendicatarum, vel oblatarum pro usu Fratrum; non tamen dicit quòd sint pecunia. Ergo nihil sequitur ex hac auctoritate contra nos. Alio itaque titulo prohibet iste Sanctus præfata: illo scilicet, quem Joann. de Fano discursu de pecunia factò, insinuat, dicens: *Vendere est prohibitum Fratribus, quia denotat proprietatem*, & quo prohibent similia fieri Statuta Generalia supra citata; videlicet sinè Syndico Apostolico, & cum prætensione Juris; vel potiùs loquitur de emptione, venditione &c. juridica solemnè cum obligatione civili.

*Ad auctoritatem ex Julij secundi Statutis Dico, juxta Decretum Urbani VIII. de Dat. Rom. ad S. Mariam Majorem 1. Octobr. 1625.* Nos potiùs debere conformari Declarationibus Nicol. 3. & Clem 5. quàm Julij secundi. Ergo cùm sit conformiùs Declarationibus horum Pontificum, res, quæ procurantur, recipiuntur &c. ut vendantur, distrahantur &c. non esse pecuniam in Regula prohibitam, sic tenendum est, non  
obstan-

obstante prædictâ Julij 2. autoritate; quod autem sit conformius patet ex dictis, & infra dicendis.

*Ad tertium tandem* Dico satis patere ex dictis falsum esse, quòd res accepta eo animo ut vendatur sit pecunia in Regula Fratrum Minorum prohibita. Sive igitur Fratres laborent in Materia aliena, sive in materia ab ipsis procurata & recepta, ut per eorum artem alterata, vendatur per personas idoneas, & pretium in eorum necessitatem convertatur, non debent dici recipere pecuniam contra Regulam: Imò dato nō concessō, quòd ejusmodi res essent pecunia verè, non tamen ut recipiuntur à Fratribus, & quamdiu sunt in manibus eorum, secundum Cordub. ad quem se remittit P. Pelandus, consequenter Fratres recipiendo illas, non reciperent pecuniam contra Regulam. Unde idem *Corduba cap. 5. q. 3. punct. 2. ad finem* docet: posse Fratres laborare in quacunque materia, dummodò ipsi Fratres non prætendant in ea aliquam proprietatem, aut Jus; & proprietates talis materiæ acquisitæ per Fratres pertinet ad Papam, sicut & aliæ res, quibus Fratres utuntur, quando dantes non reservaverunt sibi dominium, ut infra cap. 6. q. 2. habetur. & possunt vendere talia per Syndicum, sicut & alias res pertinentes ad dominium Papæ, & de earum pretio suis necessari-

cessitatibus providere possunt, sicut de pretio aut pecunia data pro rebus venditis, pertinentibus ad Papam, & non aliter. Et infra puncto 3. §. Patet tertio. Postquam determinavit contra Regulam facere illos Fratres, qui faciunt sportas, horologia &c. ut pro ipsis accipiant pecuniam, seu ut vendant ea. Addit: quod intellige nisi accipiant & vendant ea, eo modo, quo pecunia potest acceptari, aut quo modo res aliæ possunt per Syndicum vendi, ut dictum est in 2. puncto præcedente, quia, si ut dictum est, fiat receptio aut venditio, certè licitum est ex vi Regulæ, scribere libros, & facere horologia, & alia mechanica.

*DICO ex vi Regulæ*, quia aliunde potest esse illicitum, utpotè quia carius justò venduntur, aut quia cum scandalo, aut distractione, aut cum alia quavis circumstantia vitiante, quæ omnia cavenda sunt; bonum enim est ex integra causa. Et secundùm hoc limita, & intellige quod habetur in serena Conscientia q. 71. ubi secundùm Alvarum & Barthol. Pisanum, damnat absolutè Fratres recipientes pecuniam, pro mercede laboris, qui scribunt libros ad vendendum, quia debet intelligi, ut dictum est.

*DICES.* Ergo licebit Fratri Minori quascunque res facere, eâ intentione ut vendantur, vel distrahantur &c. Resp. neg. Consequentiam.  
Et si

Et si enim hujusmodi res, pecunia non sint; ex alio tamen capite talium rerum receptio, conquisitio illicita esse potest: sicut & venditio & commutatio. Hoc specialiter notarunt 4. Magistri cum Hugone in hoc cap. ubi postquam retulerunt opinionem eorum, qui dicunt nomine pecuniæ, prohiberi receptionem rerum ad vendendum, commutandum, &c. Isti (inquiunt) *capita Regula non distinguunt nec prohibitionis, constat enim quòd in sequenti Capitulo omnis rei proprietas interdicitur, sed non usus.* Qualiter vero hac receptio intentione vendendi & commutandi sit licita vel illicita dicitur in Expositione cap. 6.

In hoc loco P. Pelandus Obijcit P. Marchant, quòd textum 4. Magistrorum & Hugonis mutilatum adducat omittendo particulam valde notabilem, scilicet *ad thesaurizandum*, ratione ejus (inquit) 4. Magistri & Hugo corrigunt illam opinionem dicentes, quòd non distinguant Capitula Regulae. nam 4. Magistri quando referunt opinionem illorum, qui dicunt nomine pecuniæ, prohiberi receptionem rerum ad vendendum, commutandum, vel thesaurizandum, postea addunt & isti capitula Regulae non distinguunt, constat enim &c. Hoc prenotato.

Respondet. Quòd si bene perpendatur textus 4. Magist. & Hugonis non videtur eos his verbis docere,

re, quò dea, que recipiuntur ad vendendum, vel commutandum cum estimatione pretij non sint pecunia; sed solùm quòd nomen pecunia in Regula non sumatur ita amplè & largè, ut includat etiam omnes res, que recipiuntur ad thesaurizandum, ad donandum liberaliter &c. nam hæc non prohibentur in 4. cap. Regula, quia non suppleunt vicem denariorum, & consequenter non sunt pecunia, sed bene prohibentur c. 6. ibi. Fratres nil sibi approprient; quia in talium receptione est, vel potest esse proprietas. Sed

Contra. Potiùs P. Pelandus mutilatum textum 4. Magistrorum adducit, omittit enim ipse particulam, ex qua clarè intelligi potest mens 4. Magistrorum: qui referendo opiniones eorum, qui dicunt nomine pecuniæ prohiberi receptionem rerum ad vendendum, commutandum, & thesaurizandum (dicunt) quia in omnibus istis rei possessio, vel proprietas declaratur, postea addunt isti non distinguunt capitula Regula; ubi diligentur notanda est illa ratio & particula *ly* quia in omnibus istis possessio & proprietas declaratur: æquè enim concludit, tam de rebus ad thesaurizationem, quàm ad venditionem, & commutationem acceptis, quòd sint vel non sint pecunia; cùm in omnibus æquè declaretur, vel declarari possit possessio & proprietas: Ergo non solùm corrigunt illam opinionem, quòd ad  
res

res receptas ad thesaurizandum, sed etiam quòad res receptas quòad vendendum & commutandum. Consequenter supponunt, quòd receptio rerum non solum ad thesaurizandum, sed etiam ad vendendum, commutandum non prohibetur in hoc cap. sed in 6.

*Dices.* Qui recipit rem ad vendendum; intendit pecuniam; quod enim venditur, pecuniâ venditur, ita loquitur serena Conscientia, Ergo &c. *Resp. neg.* Antecedens, non est enim necessarium quòd intendat pecuniam, quia potest intendere rem in sua specie. *Resp. secundò.* Si intendat pecuniâ, quamvis daremus eum qui accipit aliquid, ut inde pecuniâ habeat, peccare contra prohibitionem, de non recipiendo pecuniam, intendo nimirum, quòd sibi illicitum est; Hinc tamen malè inferretur, quòd res illa ex cujus venditione intenduntur pecuniæ, sit pecunia: sicut qui furatur ut fornicetur, verè peccat contra præceptum de non fornicando; Hinc tamen non potest inferri quòd illud furtum sit fornicatio vera quæ intenditur.

*DIXI quamvis daremus &c.* Quia inter Doctores Controversia est, utrùm voluntas habendi pecuniam, in Fratре Minore, quam exequi intenderet comparando pecunias, licèt aliquâ intercedente mutatione id non exequatur, sit

pee-



peccatum mortale? Aliis Affirmantibus, eò quòd voluntas pro facto reputetur, saltem apud Deum; Aliis negantibus; Quia præcepta humana non possunt versari circa actus voluntatis merè internos, vel præcipiendos, vel prohibendos; sed præceptum de non recipienda pecunia est humanum: Ergo non potest versari circa actum merè internum: Atqui actus hic in proposito est merè internum, non conjunctus cù reali receptione pecuniæ, ut suppono. Ergo.

Dices cum Ponzanello. Intentio in multis operatur quoad substantiam, ut habeant esse, vel non esse, ut de cognatione spirituali, quam non contrahi finè intentione illam contrahendi, docet Sanchez de Matrim. lib. 7. disp. 58. n. 7. & alij apud Barbosam axioma: 128. n. 5. Idem in conficiendis Sacramentis cõmuniter docent omnes: Ergo etiam in proposito, intentio recipientis aliquam rem ad vendendum, seu ut per eam acquirantur denarii, seu pecunia numerata, facit eam esse pecuniam prohibitam in Regula, quæ res absque tali intentione non erat. Resp. Neg. Consequentiam, & exemplum est in contrarium: quamvis enim defectu intentionis, cognatio spiritualis, & Sacramenta non ponantur; falsum tamen est, quòd positâ solâ intentione, & non adhibitâ materiâ & formâ debitâ, ponantur. Item sicut, etiam si

intentio formetur à non habente auctoritatem, seu jurisdictionem, ut in conficiendo Sacramento Eucharistiæ &c. nihil operatur: Sic in proposito licet aliquis recipiat rem intentione vendendi eam, & per eam denarios acquirendi, si tamen res accepta in se non sit pecunia, eò quòd careat quantitate æstimationis publicæ in ratione pretij ad res emendas, quæ est ultima forma pecuniam constituens, (ut dicetur in probatione Concl. tertiæ) non recipit pecuniam. Item, intentio Fratris Minoris non est intentio habentis jurisdictionem conficiendi pecuniam, ut dicetur ibidem; consequenter instantia nil valet.

## CONCLUSIO I I.

**Q**uod datur loco nummorum pecunia dici non potest, v. g. do Latomo adificanti mihi domum granum in mercedem etiam æstimato pretio; do operario cibum &c. pro suo labore; nec granum, nec cibus, pecunia dici possunt in Regula Fratrum Minorum. Probatur: Per Regulam nullo modo liceret pecuniam recipere: Ergo quod in pretium laboris datur, pecunia dici non potest. Consequentia probatur: Ex mente S. P. Francisci, licet Fratri Minori granum recipere in mercedem laboris, sive pretium: Ergo granum, cibus &c. non sunt pecunia.

unia. Consequentia probatur. Quia granum, cibus, &c dantur licetè locò nummorum, & denariorum Fratribus, qui tamen pecuniam recipere non possunt.

*Respondet P. Pelandus.* Per hæc probari solum, quòd granum, vestis &c. data Fratribus pro labore non sint pecunia respectu Fratrum, quod omnes concedunt, non tamen quòd granum, &c. quæ æstimato pretio dantur operariis à Fratribus Minoribus locò denariorum, non sint pecunia. Sed

*Contra.* Non est major ratio cur merces habeat rationem pecuniæ, cum datur, quam cum accipitur: Ergo si granum acceptum pro mercede à Fratribus non habet rationem pecuniæ, nec quando datur, habebit.

*Dices fortè cum P. Pelando.* Quando hæc accipiuntur à Fratribus pro laboris pretio, non æstimantur à Fratribus, nec appetantur locò denariorum, sic licet æstimarentur à dantibus; consequenter licet respectu dantiū sit pecunia, non tamen respectu Fratrum.

*Contra.* Quamvis per hujusmodi æstimationem factam à Fratribus respectivè ad denarios, quos promeretur operarius, statuatur granum &c. in ratione justæ mercedis pecuniariæ, sicut nec per æstimationem dantis Fratribus pro labore:

bore, ut dixi supra, non potest res aliqua haberi pro pecunia, quæ non sit moneta, nisi statuto publico, vel consuetudine æquivalente ejus usus sit tanquã pretij in emptionibus: Ita non obstante illâ æstimatione, granum, oleũ, &c. data à Fratribus locò mercedis operariis nõ sunt pecunia.

*Confirmatur.* Possunt Fratres alteri dare pro mercede laboris, quod ipsimet pro pretio laboris possunt recipere: sed possunt pro mercede laboris granũ accipere: ergo etiã alteri dare. Hinc Corduba supra citatus in 6. cap. Reg. q. 3. docet licitum esse per Regulam, quòd Fratres faciant conventionẽ seu æstimationem pretij, deducens id ex Nicol. III. Si

*Dicas.* Per rem, quæ datur pro alia, fit eadem actio, quæ per pecuniam, scilicet emptio: præfertim si in re, quæ datur, habeatur ratio æqualitatis cũ pecunia illa, v. g. is qui emit librum à Bibliopola uno Imperiali, cujus locò dat Bibliopolæ tantũ frumenti, quantum sufficit ad Imperialem, is efficit frumento, quod pecunia efficeret: Ergo frumentum est pecunia. Resp. Neg. Consequentiam, quia ex effectibus similibus malè concluditur causas esse ejusdem rationis, non enim licet inferre: Ignis calefacit, & similiter Sol: Ergo Ignis est Sol, vel, Sol ignis: ita in proposito, Qualiter verò ti-  
ceat

ceat Fratribus, vel non liceat emere, alibi explicatur.

### CONCLUSIO III.

**P**ecunia propriè nil aliud est, quàm id quo solent homines uti, cum opportunum est, ad pretium rerum emendarum. Ita quatuor Magistri, Hugo de Dina. Si quis præcisè eorum textum consideret. Dixi id quo solent uti homines, nimirum publicâ auctoritate, vel communi consensu, ut includatur omne instrumentum sive medium, quo omnes nationes uti solent, non enim omnes nationes utuntur denarijs, vel monetâ, sed alijs rebus; sic enim legitur de nonnullis, quòd utebantur officulis. Dixi, Ad pretium rerum emendarum; pecunia enim propriè est medium contractûs emptionis, prout emptio est.

Respondet P. Pelandus Negans 4. Magist. & Hugon. intelligere per pecuniam in Regula Fratrum Minorum, id, quo utuntur homines publicâ auctoritate, & communi consensu, ad pretium rerum emendarum: quia hoc modo denarius & pecunia pro eisdem acciperentur, & essent ferè Synonima, ut ait P. Marchant; & consequenter 4. Magistri & Hugo essent sibi contrarij, quia docent & supponunt tanquam certum, quòd pecunia dicitur aliud à denarijs.

*Sed quòd 4. Magist. hoc intelligant per pecuniam, in Regula Fratrum Minorum.*

*Probatum primò. Quia Bartholomæus Pisanus adducens sententiam 4. Magistrorum hac de re dicit: Juxta Constitutiones antiquas & 4. Magistrorum Sententiam, per denarios intelligitur pecunia numerata: pecunia verò dicitur omnis res, quâ solent uti homines, cum opportunum est ad pretium rerum emendarum, ut aurum & argentum, & quidquid tale sit, quo pro denario ad pretium rerum emendarum homines utuntur. Item Serena Conscientia sic habet: Respondent 4. Magistri; denarij sunt pecunia numerata, pecunia autem dicitur omnis res, quâ solent uti homines, cum opportunum fuerit ad pretium rerum emendarum. Sed particula solent publicam indicat auctoritatem, aut consuetudinem, nam soleo idem est apud Calepinum ac consuevi, pro more habeo: Ergo 4. Magistri & Hugo per pecuniam intelligunt id, quo solent homines uti, publicâ auctoritate, vel communi consensu ad pretium rerum emendarum.*

*Confirmatur. Petrus Joannis apud Serenam Conscientiâ 4. Magistrorum exemplo declarans de quali usu loquantur 4. Magistri exemplificat dicens: Sicut ante usum nummorum utebantur homines auro & argento: Sed usus ille auri & argenti ante usum nummorum, procul dubio erat*

rat publicâ authoritate, seu communi consensu institutus: unde passim in Scriptura legimus, quòd in emptionibus & venditionibus ad pretium rerum emendarum aurum & argentum taxabatur, seu æstimabatur statera, siclo, obolo &c. olim enim pecunia non erat signata, sed ad certum pondus appendebatur v. g. in pretium rei dabant tot vel tot drachmas, uncias, libras, talenta auri vel argenti, inquit *Cornelius à Lapide in Zach. cap. 18. v. 11. & Lorinus in libri Num. cap. 11. v. 51. dicit: Veteres tum Romani, tum Hebraei utebantur massâ rudi auri & argenti, vel aris, in certo pondere, locò pretij seu pecunie: Unde Jerem. 32. dicitur, emi agrum &c. & appendi ei argentum septem Stateras, & decem argenteos. & versu 11. Appende argentum in statera. Quòd verò id fieret publicâ authoritate, testatur super hunc locum Cornel: à Lapide dicens: *Omnis enim pecunia & signata jam; & olim non signata, justum & definitum à Principe debet habere pondus.* Hinc observat *Andreas Piritus Ramirez ex Plinio lib. 33. cap. 3. Quòd ex eo, quia priùs appenderent ad Bilances, dippondios, & librales suos; postea numeratam pecuniam solventes, pendere dicebantur: Ergo per pecuniam secundum 4. Magistros intelligitur, id quo solent uti homines, publicâ authoritate, cum opportunum est ad pretium rerum emendarum.**

*Probat*ur secundò. De ratione pecuniæ est, ut sit illud, quod publicâ authoritate & communi sensu accipitur ad pretium rerum emendarum: Ergo de taliter recepto ad pretium rerum emendarum debent intelligi 4. Magistri. Antecedens probatur; Ultima forma constituens pecuniam in ratione pecuniæ est quantitas æstimationis publicâ lege impositæ, ut bene notat Layman tom. 1. lib. 3. fol. 143. ex Paulo J. C. in leg. ff. de contraben. empt. dicens: *Pecunia seu nummus publicâ authoritate cusus, vim usumque in commutationibus non solum habet ex substantia materia, sed magis etiam ex quantitate æstimationis lege publicâ impositæ: si enim substantiam auri vel argenti spectes absolutè nondum habet rationem pretij, sed potius mercis: quare ut pretij rationem consequatur, ad res alias æstimandas, emendâsque publicæ æstimationis quantitate indiget: hæc igitur est ultima forma constituens pecuniam.* Hæc Layman. Idemq; repetit num. 7. dicens quod *pecunie usus & commoditas publica esse debet: Ergo per pecuniam id intelligi debet, quo utuntur homines publicâ authoritate, & communi consensu ad pretium rerum emendarum.*

*Confirmatur.* Pecunia numerata ideo lege publicâ constituta fuit, quia debebat esse rerum omnium, quibus indigemus certa æstimatio, ut docet Layman lib. 3. tract. 3. p. 1. cap. 5. Ubi notan-

tandū *ex Arist. lib. 5. Ethicior. cap. 5. & P. J. C. in l. 1. ff. de contrahen. empt.* quòd nummus hominum impositione ac lege propter necessitatem introductus fuit, ut esset rerum omnium, quibus indigemus certa æstimatio, & num. 4. ait: *adjustitiam causa moneta, seu pecunia inter alia requiri legitimam cudendi auctoritatem, quam etiam signum impressum indicat.* nam monetam cudere ex Regalibus unum est, ut constat *ex lib. 2. Feud. cap. 56. quæ sint Regalia. Et lib. 2. de falsa moneta;* ubi mortis supplicium decernitur ijs, qui monetam privatâ fusione formârint, tanquam læsæ Majestatis crimine obnoxiiis: Sed etiam pecunia, ut distincta à denariis deberet esse commutationis rerum mensura, seu pretium, per quod aliquid aliud habeatur, ut concedunt etiam adversarij: Ergo debet ad hoc institui publicâ auctoritate, vel communi consensu: ut proinde mirum sit, quomodò Fratres Minores suâ intentione, vel attentione, seu æstimatione privatâ pecuniâ facere possint.

*Neg, per hoc, quòd per pecuniam hoc intelligant 4. Magistri & Hugo, quo homines solent uti publicâ auctoritate, vel communi consensu ad pretium rerum emendarum; possint dici esse sibi contrarij, ut infert P. Pelandus: quia stante hoc quòd pecunia sit id, quo utuntur homines publicâ auctoritate, & communi consensu*

ad pretium rerum emendarum, adhuc pecunia erit aliud à denariis ut dicit Hugo, à P. Pelando citatus. *Attende in hoc Capitulo 4.* (inquit Hugo) *quid dicatur pecunia, cum pecunia dicat aliud quàm Denarius; Omnis enim Denarius est pecunia, sed non omnis pecunia denarius est.* Neque P. Marchant absolutè dicit. Denarium & penuniam esse idem, sed ferè idem, ut patebit ex mox dicendis infra, ubi omninò conformiter ad dicta Hugonis etiam ipse discurrit.

## CONCLUSIO IV.

**D**enarius & pecunia in Regula Fratrum Minorum sunt ferè Synonima, & pro eisdem accipiuntur. Probatur primò: Quia hæc est communis usurpatio in modo loquendi, juxta quam vult suam Regulam intelligi S. P. Franciscus.

*Respondet* P. Pelandus Neg. fuisse intentionem S. Patris, quòd verba Regulæ suæ accipiuntur prout secundum communem loquentium sermonem usurpantur. Sed hoc falsum esse ex dictis supra in probatione primæ Responsionis patet.

*Probatur* secundò. Illa particula *vel* indicat, quòd denarius & pecunia sumantur pro eisdem: Ergo debet dici, quòd sic sumantur.

*Respondet* P. Pelandus Neg. quòd per illam particulam disjunctivam *vel* hoc indicetur, sed potiùs oppositum indicatur; Sed & hoc satis clarè superiùs deductum est.

*Probat*ur tertiò *idem*. Nicol. III. & Clem. V. ista simul confundunt, & pro iisdem sumunt; imò solo nomine pecuniæ utuntur pro denariis, ut patet legenti Declarationes; Sed hoc nec fecissent, si tanta distinctio ibi esset, cum traditæ ab aliis distinctiones sint fundamenta infinitorum scrupulorum, imò gravissimorum dubiorum, ad quæ elucidanda suas Declarationes ediderunt supradicti Pontifices: Ergo Denarij & pecunia in Regula Fratrum Minorum sunt ferè Synonima.

*Ad hoc Respondet* P. Pelandus dupliciter. Primò, Pontifices prædictos uti solo nomine pecuniæ, in Regula autem non ponitur solum pecuniæ nomen, sed ne denarios vel pecuniam recipiant: unde in Declarationibus prædictorum Pontificum, sumitur pro denariis, non sic in Regula. Secundò Respondet: Quòd si supradicti Pontifices suas dederunt Declarationes, ad dilucidandum gravissima dubia, quæ ex aliorum distinctionibus oriuntur, verisimile videtur, quòd ipsi supponant, Regulam esse intelligendam secundum distinctiones aliorum, non secundum opinionem dicentium denarios & pecuniam esse Synonima; vel ferè

*ferè Synonima : quia secundum opinionem istam, eorum Declarationes non fuissent necessariae. Sed*

*Quantum ad primum responsionis punctum, hoc sufficienter manet ex dictis ad primam probationem refutatum, & inutilitas distinctionis hujus de pecuniæ nomine sumpto solitariè, & combinando illud cum denarijs, est clarè deducta. Quantum ad secundum, contra arguo sic: Pontifices prædicti utique in suis Declarationibus sumunt pecuniam pro denariis; ut pro confirmanda Sententia P. Marchant notat Sanctorus in cap. 4. Regulæ. Nam Clemens V. in Clementina Exivi &c. §. Porro &c. ait. Quocirca quæstus omnis pecunia, ac oblationũ pecuniarũ receptio, in Ecclesia, vel alibi cippi, sive trunci ordinati ad offerentium, seu donantiũ pecunias reponendas &c. sunt interdicta. Idemq; sæpius repetit in hoc §. & certè panni, blada &c. non reponuntur in cippis, sed Denarij. Item Nicol. III. in cap. Exiit §. Cæterum. declarando modos recurrendi ad amicos spirituales, solùm pecuniam nominat, nullã factã denariorum mentione, idque sæpius, & fatetur ipsemet P. Pelandus: quia inquit, sumunt nomen pecuniæ solitariè: Ergo in suis Declarationibus resolvunt dubia secundum hanc acceptionem: Ergo falsum est, quòd dederunt Declarationes suas ad dilucidandum gravissima dubia, quæ ex distinctione à denariis ori-*

is oriuntur, ut supponit P. Pelandus: imò cum nè levissimam quidem distinctionis insinuent notam, signum est, quòd pecunia & denarii secundùm mentem Pontificum prædictorum sint ferè Synonima in Regula Fratrum Minorum.

*Nec est verum*, quòd dicit ulteriùs P. Pelandus secundùm opinionem tenentium Denarios & pecuniam esse Synonima, non fuisse necessarias Declarationes: Quia etiamsi non esset in Regula quidquam de pecunia, ut distincta à denarijs, de receptione ipsorum denariorum multa declaranda remanerent. Imò si dictum hoc P. Pelandi esset verum; quandoquidem ipse in hac solutione fatetur Pontifices, Nicolaum III. & Clem. V. sumere ubiq; in suis Declarationibus pecuniã pro denarijs; sequeretur illas propterea non esse necessarias quoad hoc, sed hoc est absurdum & Pontificiæ dignitati injuriosum, quorum uterque protestatur se præfatas Declarationes suscepisse ad sedanda plenè omnia Regulæ dubia, & expediendas à scrupulis Fratrum conscientias, præsertim Nicol. III. in Prolog. §. 5. dicit se velle, *Quæ erant in Regula dubia, declarare, alia declarata pleniore claritate differere, in aliquibus Regulam ipsam concernentibus puritati eorum conscientia providere.* Et infra, *Tam ea, quæ per Prædecessores nostros approbata & declarata esse noscuntur, quàm etiam Regulam, & eam contin-*  
gentia

*gentia maturitate plenâ discussimus &c.* Et præfertim de præcepto hoc capituli 4. ne Fratres recipiant pecuniâ, vel denarios ullo modo, ait: *Articulum istum propter detrahentium morsus profundius, quàm nostri Prædecessores fecerint, assumentes, & ipsum clarioribus determinationibus prosequentes &c.* Clemens etiam V. testatur, non solùm dubijs quæ occurrunt, sed etiam quæ possunt occurrere in futurum opportunè adhibuisse remedia, ac in eis expediendis se omne studium ac diligentiam adhibuisse, illâque examinari voluisse per plures Archi-Episcopos, Episcopos in Theologia Magistros, & alios Literatos providos & discretos: Ergo non est verum, quod dicit P. Pelandus, secundùm opinionem tenentiû denarios & pecuniam esse ferè Synonima, non fuisse necessarias Declarationes.

*DIXIT P. Marchant, Ferè Synonima*, quia pecunia videtur nomen aliquantulum universalius, quàm denarius, ob nationes barbaras, si quæ reperiuntur, quæ monetâ & denarijs strictè acceptis non utuntur, ut de nonnullis legitur, qui officulis utebantur.

*Respondet P. Pelandus*: Quòd in hac sua Declaratione P. Recollectus putat, denarium esse monetam de metallis tantùm confectam: Sed Corduba docet (allegando communiter omnes Expositores) denarium esse monetam ex quocunq; metallo, seu materia

teria confectam ; Et per consequens officula illa, & alia instrumenta, quibus Nationes Barbaræ pro denariis utuntur, sunt verè denarij ; & sic denarius & pecunia, etiam apud illas Nationes essent omninò Synonima.

Sed quidquid sit de mente Cordubæ, quòd per denarios debeat intelligi propriè & strictè moneta solùm de quibusdã metallorũ speciebus facta, seu particulæ quorundam metallorum signatæ, patet ; quia ut inquit Budæus de Assè apud *Cornelium in cap. 10. Matt.* Omnis pecuniæ, primùm fuit Ænea, deinde Argentea, demum Aurea. Et quòd loquatur hic de denariis non potest negare P. Pelandus : quia ly *pecunia* quando ponitur solitariè (ut hic) sumitur secundùm ipsum pro denariis : Ergo officula illa, & quælibet alia illa instrumenta, quibus utuntur aliæ Nationes pro denariis, ut limacum conchæ, quibus in Regno Congo utuntur, non sunt propriè & strictè denarii : sicut nec aurum, & argentũ, quo secundùm Petrum Joannis utebantur homines ante usum nummorum, consequenter nec sunt propriè Synonima, sed ferè Synonima, ut loquitur P. Marchant.

*Nec inverisimile* censei debet B. P. Franciscũ posuisse in hoc Regulæ Præcepto, nomen denariorum, propter nationes, quæ utuntur moneta de metallis facta : nomen verò pecuniæ, propter

pter nationes, quæ utuntur officulis, vel aliis instrumentis locò denariorum : quia S. Pater noverat optimè ex divina revelatione, etiam inter illas nationes Fratres suos, & ordinem propagandum ; non obstante quòd Pater Pelandus nullum viderit hoc Præceptum sic explicantem.

*Dices cum Sanctoro. Clemens V. §. Proinde &c. recenset inter transgressiones præcepti de pecunia, Quòd equos, arma, eis oblata in funeralibus indistinctè accipiunt : Ergo hæc mobilia sunt pecunia. Item §. Circa equorum &c. ait : Circa equorum autem & armorum oblationes illud decernimus observandum, quod in pecuniarijs per Declarationem prædictam noscitur eleëmofynis definitum. Nicol. III. etiam §. Si verò docet Fratres non posse ad res legatas recurrere, ut vendantur, &c. nisi eo modo, quo ad pecuniarias eleëmofynas : Ergo ista sunt pecunia.*

*Respondetur quantum ad primam partem Anteced. neg. eam, quòd scilicet Clemens V. receptionem equorum, armorum &c. numeret inter transgressiones præcepti de pecunia : Sed potius enumerat, ut legenti patet, inter transgressiones contra paupertatem & appropriationem, ait enim : proinde cum Vir Sanctus paupertatis promissæ in Regula modum exprimens dixerit in eadè. Fratres nil sibi approprient. Et infra ad nostrum deducit*

*deducta examen, qua in Ordine fieri dicebantur & videbantur predicto voto, paupertati scilicet & puritati Ordinis repugnare &c.* Et tandem enumerando illa, ponit receptionem equorum, armorum &c. in sepulturis. Hæc Nicol.

*Quantum ad secundam partem illam : scilicet circa equorum, armorum &c. oblationes, illud decernimus faciendum, quod in pecuniarijs eleemosynis noscitur definitum per Declarationem prædictam.* Resp. neg. Consequenter. Et si enim ad utrumque tam ad oblationes nimirum prædictas, quam ad eleemosynarias pecunias sit idem modus recursus; non idcirco illæ oblationes pecunia censi possunt; quia per illas ordinationes suas, voluit solum Pontifex, ut oblationes equorum, armorum &c. non recipiantur indistinctè, sicut fieri dicebatur; cui ab usui obviare volens Pontifex loco citato dicit: circa equorum, armorum &c. oblationes illud decernimus in omnibus &c. & per omnia observandum, quod per Declarationem prædictam in pecuniarijs noscitur eleemosynis definitum; Id est ut oblationes prædictæ sine vera necessitate, præsentis vel imminentis, & conditionibus in cursu ad pecuniam requisitis non recipiantur: cujus ratio est, non quia sunt pecunia, sed quia immediatè usibus Fratrum non cedunt; & nisi ad necessitates veras reducantur,

superfluitatē, pretiositatē, & thesaurizationem sapiunt. Aliud itaque est illa esse pecuniā; aliud non fieri recursum ad illa, nisi eo modo, quo ad pecuniam.

## CORROLLARIUM.

**D**Enique P. Marchant agens de Commutatione rerum, quæ sunt in usu Fratrum, in fine ponit hoc Corrollarium contra multorum scrupulos. *Licet Superiori commutare filum, lanam, &c. extra Ordinem pro tela vel panno; siliginem pro frumento, granum pro butyro &c. etiam æstimato pretio, de licentia Generalis, vel Provincialis (si non obstat expressa prohibitio donantis) idq; probat: quia hic (inquit) intervenit nudum ministerium sine aliquo jure.*

*Respondet P. Pelandus neg. Consequentiam primo: quia res, quæ commutatur cum æstimatione pretij in Regula Fratrum Minorum, est verè pecunia; ut patet ex supra dictis. Secundo: Quia commutatio, quæ fit cum æstimatione pretij, est vera venditio & emptio secundum 4. Magist. Hugonem, Cordubam, Politium & alios; Venditio autem & emptio fit mediante pecuniâ, cujus usus Fratribus Minoribus est planè interdictus; quod quidem fatetur etiam ipse Pater Recollectus Concl. 4. ejusdem Quæst.*

Sed

Con-

*Contra*: Rationes istæ, ob quas negat Consequentia nihil omnino valent: Non prima; quia oppositum potiùs ex dictis constat; neque secunda, quia cum 4. Magist. Hugo, & alij dicunt commutationem, quæ fit cum æstimatione pretij, esse emptionem; intelligunt de æstimatione publica & civili, quam esse de ratione pecuniæ probatum est supra, ita quòd tunc fit emptio, quando res taxata seu æstimata lege publicâ, loco numeratæ pecuniæ datur pro alia re, ut patet consideranti textum 4. Magist. & Hugonis.

*Quantùm* ad Cordubam DICO: quòd Corduba potiùs hac in parte favet P. Marchantio, nam *c. 6. quest. 3.* postquam determinavit venditionem & conventionem, seu æstimationem pretii, & rei vendendæ, ejusq; dominii translationem ibi intervenientem debere fieri per Syndicum Papæ, proponit dubium; utrùm similiter necessariò debeat talis contractus, aut conventio, seu æstimatio pretii interveniens fieri per Syndicum, quando res vendenda pertinet ad alium? an etiam possit fieri per ipsosmet Fratres personaliter; quando talis res non fuit modo pecuniario accepta; id est eo animo, ut venderetur aut distraheretur, sed principalitèr fuit accepta animo utendi illâ in suis usibus, & post ea si contingat illam fieri inutilem, aut de ea aliquid superfluere, aut jam non esse necessa-

riam, ita quòd expediat eam vendere, habebunt  
 animum minùs principaliter eam vendendi?  
 Et respondet Corduba ibidem sic: *Quod Specu-  
 lum Fratrum Minorum, & cum eo communiter Do-  
 ctiores omnes ferè de hoc loquentes dicunt, nullo mo-  
 do licere Fratribus personaliter talem rem vendere  
 modo predicto, scilicet faciendo contractũ & conven-  
 tionem, & pretij estimationem; neque tradere talem  
 rem in potestatem eientis: Sed quòd Syndicus no-  
 mine Papa, aut amicus Spiritualis nomine alterius  
 domini talis rei, potest & debet hoc facere, & non  
 alius. Sed certè (inquit idem) ego non video ra-  
 tionem sufficientem ad dogmatizandum tam strictè,  
 neque ulla authoritas ad id cogit. Ideo salvo melio-  
 ri iudicio: dico, quòd in casu dubij prefati, rem non  
 pecuniario modo acceptam, bene licet Fratribus ipsis  
 personaliter vendere de licentia Prelatorum & do-  
 mini talis rei, & contractum venditionis facere, &  
 conventionem, seu estimationem pretij, dummodo ca-  
 veatur scandalũ, aut alia occasio peccati, & omnis a-  
 lia prava circumstantia aliàs vitians, seu inficiens  
 talem actum. Ratio est; quia nullus Pontifex, seu De-  
 claratio id prohibet, ut patet: quia Nicol. III. ùti  
 supra de hoc agens, hoc certè non prohibet; quia so-  
 lum dicit, quòd pretium rei vendita, accipiatur per  
 Syndicum, & de contractu venditionis nil prohibet  
 nobis: imò generaliter loquens, sinè exceptione con-  
 cedere videtur, quòd de licentia Prelatorum potest  
 fieri*

fieri, personaliter per Fratres autem quando pretii aestimatio intervenit, neque alius Papa innuitur id prohibuisse. Neque per Regulam est illicitum ratione voti paupertatis. Probatum: quia in predicta venditione sunt multi actus, quorum unus est aestimatio pretij, & hic certè non prohibetur nobis, sicut in re alterius agere de valore rei; quid enim detrahitur paupertati propter hoc, quòd ego de hac vel illa re (cujuscunque sit) dicam: quòd valet tantum, vel tantum? Item alius actus est traditio, vel translatio rei in potestatem eientis, & acceptatio pretij talis vel talis; quae duo faciunt conventionem & contractum perfectum: certè de licentia domini talis rei, ut servus Domini nil habens Juris in re, non videtur, quare non possit id licitè facere auctoritate Domini Papa, aut alterius Domini talis rei; quia & Nicol. III. supra expressè videtur huic suffragari; Neque hic intervenit pecunia acceptio, ex quo ut suppono pretium pecuniarium debet per Syndicum, aut per anticum spiritualem accipi, & non per Fratres ut supra dictum est: Ergo de se non est contra Regulam, quòd talis venditio fiat per Fratres ipsos.

DICO notanter de se, & dummodò caveatur scandalum: quia quatenus est de rigore Regulae, & Declarationum, quoad hoc non videtur illicitum vendere simpliciter modo predicto sine strepitu, & solemnitate judiciali, seu juridica, & civili obligatione,

&c. *Secus autem, si aliunde proveniat Scandalum, aut prava circumstantia; tunc enim venditio de se licita, fieret illicita ratione talis circumstantie, sicut & quodlibet opus bonum potest sic infici. Ideo si in tali venditione interveniat aliqua obligatio civilis, aut si juridicè fieret, vel in iudicio, aut si etiam ex hoc agendum in iudicio, jam tunc non liceret personaliter Fratribus sic vendere rem quamcumq;, sed per Syndicum nomine Papæ, secundum Privilegium Mart. IV. & Nicol. III. quia hæc omnia sic prohibita sunt fieri aliàs ex Regula, aut per Papam, aut ratione scandali, & huiusmodi (ut in suis locis de singulis agendum est in 6. hoc capite) Et quidem quamvis sit purius & honestius, quod id fiat per Syndicum, non tamen videtur dogmatizandum, quod id sit necessarium, maxime cum oppositum communiter practicetur, possitque Frater Minor peccare contra conscientiam predicto modo vendendo per se, si ei dicatur esse illicitum, in quo tamen non peccaret, si ei veritas diceretur; Non enim sunt Fratribus plures laquei objiciendi, quam ex sua Professione tenentur; utinam vel sufficienter ea serventur, ad quæ ex Regula & Professione tenentur, & non augeantur, neq; minuantur vota nostra. Hucusque Corduba.*

*Idem Author cap. 6. q. 4. agens de commutatione puncto primò dicit: Fratribus Minoribus non licet auctoritate suâ rem aliquam pro alia commuta-*

mutare, distrabere, seu alienare, sed solum auctoritate Domini talis rei, & eo modo, quo ipse vult, & nomine suo, ad quod sufficit auctoritas, seu voluntas eius probabiliter presumpta, quando non potest commodè haberi expressa: quia, ex quo Fratres nullum ius, aut dominium in tali re habent, non possunt de ea disponere, nisi ut dictum est. Deinde puncto secundo dicit: Quòd ad licitè commutandum res pertinentes ad Papam, quibusjam utitur Ordo, tres requirantur conditiones. 1. quòd fiat de licentia Ministri Provincialis & Custodis. 2. quòd sint res mobiles. 3. quòd si mediante pretij estimatione commutantur, aut distrabuntur pro alijs rebus, tunc non nisi per Syndicum fieri potest secundum Doctores communiter; & habetur in Seren. Conscient. q. 81. & in Speculo. Sed, ut mihi videtur, hoc non est necessarium propter rationes tactas supra, ibi videatur, & ad propositum applicetur: Ergo quamvis intercedat aestimatio pretij, & esset etiam venditio, adhuc potest fieri per Fratres sine Syndico.

Ex quibus omnibus quilibet colligere potest, quòd quandoquidem Sententia Patris Marchant sit conformior Declarationibus Nicol. III. & Clem. V. ut ex dictis luculenter patet, quàm opposita; & ex concessis ipsiusmet Patris Pelandi standum est potiùs Declarationi Pontificiæ, quàm cæteris Doctorum Declarationibus; Papalis enim declaratio omnes obligat ad ejus obser-

vantiam in utroque foro, cui absque ulla contradictione subjacere tenemur; merito hæc Sententia oppositæ præferri debet.

Nec instantia Patris Ponzanelli de sequenda communi opinione aliquid valet; Cui opponitur Majestas Conditoris legum Justiniani, qui *l. 1. ff. de veter. vir. enucl. §. 6.* Triboniano, aliisque ab eo deligendis viris disertissimis, togatis fori, demandans Provinciam, colligendi responsa antiquorum prudentum, & ex eis elimatis, conficiendi 50. Libros digestorum; hoc sanè quàm sapiens monitum, inter reliqua dedit: *Sed neq; ex multitudine Authorum, quod melius aut equius est, judicate, cum posset unius forsant & deterioris Sententia, & multos & majores in aliqua parte superare.* Censuit igitur Imperator præsumptionem de veritate opinionis communis non esse tanti faciendam, quin liceat ab ea secessionem facere, quando unius Sententia, ratione (quæ ipsius etiam legis anima est: *cap. Consuetudo dist. 19.*) meliore ac subtiliore illam superat; sicut traditur *cap. Capellanus. de for. quàm obrem* Macagnanus tract. de communi opinione c. 8. n. 1. post Felinum, & Alios tam Theologicâ, quàm Canonicâ legalique scientiâ excellentes afferunt: singularem opinionem esse anteponendam communi, quando nititur meliore & subtiliore ratione, conformiter ad al-  
lego-

legoriam Senec: lib. de vita dicentis: *Trifidissima* quaeque via, & celeberrima maxime decipit; nihil ergo magis est praestolandum, quam ne pecorum ritu sequamur antecedentium gregem, pergentes non quâ eundum est, sed quâ itur. Fateor tamen cum Præteo I. C. Regularium Juris lib. 3. tit. 7. c. 2. esse temerarium à communi opinione deflectere ad singularem sinè ratione; hoc enim, nec plus probant rationes Patris Ponzaneli adductæ in contrarium.



F5

PARS



## PARS SECUNDA.

**N**qua P. Pelandus impugnat retractationem P. Marchantij, quâ retractat Doctrinam & Sententiam primò à se defensam; quòd scilicet Institutio Syndicorum secundùm Martinianã sit contraria Regulæ, & Declarationibus Nicol. III. & Clem. V. ostenditque per oppositum Provisionem Martini V. de receptione & administratione pecuniarû per Syndicos, tanquam per Procuratores Romanæ Ecclesiæ, non esse contra Regulam ac Declarationes Nicol. III. & Clem. V. & nihil conferre Fratibus, quòd Regulæ rigorem relaxet: sed tantùm benignitate Apostolicâ, nonnulla media provisã esse, quibus puritati & quieti Fratrum, & intimæ Regulari Observantiæ provideretur: Quod quidem declarat per sequentem Conclusionem.

AR-

# ARTICULUS I.

## CONCLUSIO.

**P**rovisio illa Martini V. quâ Syndici designantur, ut pecunias omnes, eleëmofynas in utilitatem Fratrum oblatas, datas, vel relictas, recipiant, & in necessitates Fratrum expendant, in nullo contrariatur Regula, aut Declarationibus Pontificum, Nicol. III. & Clem. V.

*Probatur.* Si Provisio illa Martini V. contrariatur Regulae, aut Declarationibus, id fit, aut respectu Pontificis Personae, pecuniarum dominium in se assumentis; aut respectu Syndicorum pecuniam recipientium, & administrantium; aut respectu Fratrum, & modi recursus; sed nihil horum dici potest: Ergo absolutè non contrariatur illis. Minorem Probat quoad omnia tria membra diversis rationibus; quam negat Pater Pelandus, & Rationes solvere nititur.

### MEMBRUM I.

**Q**uia in hoc Martinus V. nil aliud facit, quàm Nicol. III. qui pretium, sive pecuniam ex rebus Fratrum usibus prius datis, imò ex oblatiis divenditis proveniente in dominium suum assumpsit: Ergo non respectu Pontificis &c.

## SOLUTIO.

**R**espondet P. Pelandus quoad hoc punctū; primò negando, quòd assumat Pontifex Nicol. III. in dominium pecuniam ex rebus divenditis provenientem: negatque Pontificem in sua Decretali id insinuare: Imò (inquit) ipse Nicol. ait: *Nec eo animo ut distrabant, seu vendant, recipiant.* Sed

*Contra.* Quòd hoc insinuet in sua Decretali Nicol. III. manifestè patet ex dictis supra in probatione secunda Concl. primæ per totum. Unde Martin. V. in hac sua de Syndico provisione cap. 4. *statuimus* (inquit) *& ordinamus, juxta declarationem Nicol. III. & Clem. V. ac Martin. IV. Quòd quilibet Conventus, seu locus habeat suum Procuratorem, economum, Syndicum, & actorem, cui omnis eleëmofyna pecuniaria, & alia, quæ ad pecuniam reduci possunt, integraliter consignentur &c.*

Respondet secundò: *Falsum esse, quòd Martin. V. nihil aliud faciat, quàm Nicol. III. quod sic ostendit: Nam Martinus V. assumit in dominium pecuniam à Fratibus per recursum procuratam, vel liberaliter, aut ex laboritio eis oblatam: Nicol. III. verò minimè; sed vult, quòd pecunia illa secundum Regule puritatem remaneat in proprietate, & dominio offerentium & donantium, donec in Fratrum necessitates sit expensa. Item Martin. V. recipit in dominium non solùm omnes pecunias eleëmofynari-*  
as,

as, sed etiam ea, quæ ad pecuniam reduci possunt, ut constat ex Martiniana cap. 4. Nicol. verò III. nec pecuniam, nec reducibilia ad pecuniam recipit; & sic patet (inquit) Martinianam contrariari Regule, & Declarationibus Pontificiis Nicol. III. & Clem. V. respectu Pontificis pecuniam in dominium assumptis; Et per consequens clarissimum est, hoc primum Membrum non esse verum. Sed

*Contra.* Quamvis Materialiter, & in individuo, aliud faciat Martinus V. quàm Nicol. III. formaliter tamen & specificè idem omnino facit uterque: nam sicut Nicol. III. De pecuniis ex pretio rerum, quæ in usu Fratrum ante fuerunt, per Procuratores suos divendarum convenientibus providerat; scilicet ut ad Ecclesiæ dominium pertinerent, in genere piorum donorum; donec in necessitates Fratrum essent expensæ: idem de pecuniis, sub incerto dominio velut relictis, & abjectis per dantes (sive sint per recursum pro necessitatibus præsentibus aut imminentibus procuratæ, sive liberaliter oblata, sive pro laboritio) Martinus V. ordinavit; Consequenter non aliud voluit formaliter, quàm Nicol. III. sicut v. g. si quispiam pro eleëmofyna expenderet unum Imperialem, & alter ejusdem pretii vel majoris victum; quamvis materialiter aliud faceret unus, quàm alter; formaliter tamen uterque idem exerceret, scilicet

cet ejusdem virtutis actum ; Et quando Nicol. III. pecunias hujusmodi vult manere in proprietate , & dominio donantium , ac offerentium , donec in necessitates Fratrum sint expensæ , supponit, quòd illius dominium sibi reservaverint donantes ac offerentes ; ut colligitur, tam ex illa ratione , quâ assumit in dominium pecuniam ex rebus, quæ fuerunt in usu Fratrum,provenientem,& ipsas res hujusmodi, ne scilicet maneant sub incerto dominio : tum ex Statutis Reformat. supra folio 31. & 32. præsertim dum *cap. 4.* dicunt syndicum debere habere curam eleëmofynæ pecuniariæ pro necessitatibus assignatæ præsentibus, vel imminenti-  
 bus ; casu quo ille, qui dedit, nollet eam servare ; Et quòd ibi sit sermo de Syndico ut Syndico, patet ; nam volunt illum nominari à Generali , & Provinciali , quòd ad Syndicum ut substitutum dantis non requiritur. Quòd si fortè etiam Nicol. III. non voluisset hoc de pecunia per recursum procurata, aut liberaliter , vel pro laborio Fratribus oblata ; nõ sequitur, quòd minùs id potuerit facere Martin. V. absq; præjudicio Regulæ , sicut fecit Nicol. III. de illa, quæ provenit ex venditione rerum mobilium , quæ erant in usu Fratrum ; cùm eadem sit utriusque ratio.

*Quando ulterius* addit P. Pelandus , Nicolaum nec pecunias, nec reducibilia ad pecuniam,

reci-

recipere in dominium; Hoc manifestè falsum est: Tum ex dictis immediatè de pecuniis ex venditione rerum mobilium, quæ erant priùs in usu Fratrum, provenientiibus ( & ipsis etiam rebus hujusmodi, quæ jure dicuntur reduci ad pecuniam; quia licèt sint receptæ animo, ut eis in suis necessitatibus Fratres immediatè utantur; attamen secundùm P. Pelandum in solutione ad sextam probationem, si postea in toto, vel in parte retinentur, & asservantur, ut vendantur, pecunia sunt ( essetque idè pecuniam habere, & uti pecuniâ: ) quòd enim hæc sint in dominio Papæ, fatetur ipsemet P. Peland. *fol. 75. S. Quia si Doctor*: ubi dicit non solùm res ipsas mobiles, quæ fuerunt in usu Fratrum; sed & pecuniam ex iis proveniente[m], esse in certissimo dominio Sedis Apostolicæ; Idque clarissimè colligitur ex Transumpto Instrumenti Cardinalis Matthæi Protectoris Ordinis ad Archi-Episcopos, & Episcopos Germaniæ *dati Romæ 1280. Calen. Maij, Pontificatûs Nicol. III. Anno 3.* uno scilicet anno post Declarationem, seu Extravagantem ipsius: *Exiit qui seminat &c.* quæ data erat 18. *Calen. Septembr. Pontificatûs Ejusdem Anno 2.* Quod quidem Instrumentum continet executionem Procuratorum Apostolicorum juxta Declarationem Nicol. III. factam, per Trevirensis Archi-Episcopum 1281. in Crastino  
Omni-

Omnium Sanctorum ; In quo instrumento inter alia habetur : Procuratores illos sive Syndicos institui ad recipiendum pretium, sive pecuniam de mobilibus, quæ sunt in usu Fratrum, proveniente, & ut hujusmodi pretium seu pecuniam illam, quæ priùs deposita fuerat apud alios Procuratores, seu Syndicos aliter institutos recipiant. Deinde Nicol. III. in speciali casu quo scilicet donans Principalis moreretur, voluit pecuniam apud Depositarium sive substitutum depositam pro necessitatibus Fratrum, in illas etiam contradicente vero hærede expendi, quæ donec expensa sit (cùm non sit amplius donantis, qui mortuus est, nec substituti, qui solum est minister, & ab hærede abstrahatur) necessariò ex vi Declarationum Nicol. III. ad dominium Ecclesiæ & Pontificis reddit. *Vid. Decl. Nicol. III. art. 6. quid faciendum. Quamobrè Cordub. in cap. 4. q. 16. punct. 3.* Ad omnes elemosynas, etiam pecuniarias in testamento relictas, & ad illas in judicio, vel extra repetendas, nomine Ecclesiæ, licitè posse uti Syndico affirmat; (si tali legato verè Fratres indigeant) eo quòd dominium eorum, vel saltem dispensatio ad Papam pertinere probatur juxta immediatè dicta; Idq; per Decretalem Nicol. concedi affirmat, §. *Ad hac &c.* ubi agens de legatis Pontifex præcipit, quòd tam Hæredes, quàm Ex-  
 cuto-

cutores, quàm judices, seu alij Prælati, ex officio proprio diligenter procurent, & faciant, quòd talia legata diligenter solvantur, & piæ Defunctorum voluntates impleantur, subjungit: *nam & nos etiam per modos licitos, & Fratrum Regula congruos intendimus providere &c.* Ex quibus verbis patet, quòd intendebat summus Pontifex providere de Syndico, qui posset nomine Ecclesiæ talia legata repetere; quod postmodum non fecit, vel morte præventus, vel aliàs præpeditus. Et ideo Martin. IV. & alii ejus Successores prædicti, executioni mandârunt, quod Nicol. ipse mandare non potuit; Et quòd id fieri possit secundum Regulæ puritatem, ex ejusdem Mart. IV. Bulla comprobatur: Dicitur enim ibi, quòd per hanc Syndici provisionem dantur remedia opportuna, per quæ nostri Ordinis pura observantia, in sui vigore conservetur; Quam opinionem Cordubæ, Hieronymus à Polit. satis rationabilem, & in nullo Regulæ puritati præjudicare censet, *in cap. 4. n. 50.* quamvis Speculatoris & Collectoris modum (quoad juridicam duntaxat repetitionem) sanctiorem ad ædificationem populi putet.

*Pergit ulterius P. Pelandus, adducens ex Patre Marchant, quòd in confirmationem hujus membri dicat: Non aliâ ratione hanc Provisionem facere Martinum V. quàm illâ, quâ utitur*

Nicolaus ; nimirum ne res, & rerum pretia, sive pecuniæ sub incerto dominio maneant ; cum non sit Persona, in quam dominium rerum, & pecuniarum pro Deo oblatarum devolvatur, quam Persona Summi Pontificis, vel Ecclesiæ Romanæ ; sed quod in hoc decipiatur P. Marchan. ius, deducit ex quatuor.

*Primo. Quia Nicol. III. loquitur solum de rebus mobilibus, & immobilibus, quibus Fratres licite utantur, dicens : quod assumit eas in dominium & proprietatem Romanae Ecclesiæ, ne sub incerto dominio maneant. Nec ullam facit mentionem de rerum pretiis, seu pecuniis, quas ipse P. Recollectus addit, ut existimo, ad libitum suum, ut efficere valeat conformitatem & identitatem a se intentam inter Martinum & Nicolaum.*

*Sed potius P. Pelandus maximè decipitur in intelligenda Propositione P. Marchant : P. enim Marchant non allegat illam rationem Nicolai, quasi illam in terminis ponat Nicolaus loquendo de rerum pretiis sive pecuniis ; Sed dicit : quod cum Nicolaus res in usu Fratrum ante existentes, ( de quibus expressam facit mentionem ) ac consequenter earum pretia, sive pecuniam ex eis proveniente[m] recipit in dominium Sedis Apostolicæ ; quia cum res, quæ sunt in usu Fratrum, sint in dominio & proprietate Sedis Apostolicæ, consequenter etiam pecunia ex eis pro-*

proveniens est in dominio Sedis Apostolicæ, ut etiam ipsemet P. Pelandus infra affirmat. Ex hoc P. Marchant arguit à paritate rationis videlicet; quòd sicut Nic. III res mobiles, & immobiles, quibus licitè Fratres utuntur, assumit in Dominium Romanæ Ecclesiæ, ne sub incerto dominio maneant, absque præjudicio Regulæ: ita eadè ratione potuisse, & defacto fecisse idem Martinum V. de pecunia per recursum, vel liberaliter, vel pro laboritio oblata Fratribus.

*Secundo.* Dicit decipi P. Marchantium; quia si Doctor iste (inquit) intelligit, quòd Nicol. III. assumit in dominium pretia, & pecunias provenientes ex venditione mobilium, quæ in usu Fratrum sunt, ne maneant sub dominio incerto; hoc non videtur verum: quia cum res mobiles, quæ sunt in usu Fratrum, sint in dominio, & proprietate Sedis Apostolicæ, consequenter & pecunia ex illis proveniens est in dominio certo, imò certissimo Sedis Apostolicæ: nec potest dici ullo modo, quòd Sedes Apostolica assumit illam in Dominium sub hac ratione, videlicet; ne sub incerto Dominio maneat. Sed

*Contra.* Eadè ratione, quâ res, quibus utebantur Fratres, assumuntur in dominium Ecclesiæ, assumitur pretium illarum, sive pecunia ex illis proveniens: nam accessorium sequitur naturam sui Principalis; Sed res vendendæ, quibus Fratres licitè utebantur, assumuntur

tur in Dominium Eccl. Rom. eâ ratione, ne sub incerto Dominio maneant : Ergo eâdem etiâ ratione assumitur in dominium Ecclesiæ pretium illarum, seu pecunia ex ijs proveniens : Ergo sicut postquam semel illæ res sunt assumptæ in Dominium Ecclesiæ, hoc non obstante, quòd sint in dominio certissimo ejus ; adhuc de illis verum est dicere, quòd sint assumptæ eâ ratione, ne maneant sub incerto dominio : ita non obstante, quòd etiam postquam pretium earum est semel assumptum in Dominium Papæ, estque in certissimo dominio ejus, quatenus res illæ sunt in dominio ejus ; verum erit de illo pretio, seu pecunia dicere, quòd sit assumpta in Dominium Papæ, seu Ecclesiæ sub hac ratione, ne sub incerto dominio maneat ; Et ita falsum est, quod in sua Responsione dicit Pater Pelandus.

*Tertiò.* Deducit decipi Patrem Marchant in allegatione Nicol. III. *Quia* (inquit) *idem Doctor dicit, quòd Mart. V. assumit in dominium eleëmofynas pecuniarias, & alia ad pecuniam reducibilia eâdem ratione, quâ Nicol. III. scilicet, ne maneant sub dominio incerto ; sed neque hoc verum videtur ; nam hæc ratio scilicet, nè res mobiles & immobiles, quibus Ordo licitè utitur, sub incerto dominio maneant, à Nicol. III. fuit expressa, non autem à Mart. V. respectu rerum & pecuniarum, sed videtur*

*tur ad libitum addita à P. Recollecto, ut Martinus videatur Nicolao conformis.*

*Contra.* Licet Mart. V. rationem illam respectu Rerum, & pecuniarum, quas in dominium recipit, non exprimat; tamen id facile colligi potest, quòd propter eam id faciat, ex motivo, quo inter alia motus, præfatam dispositionem fecit; quia scilicet donantes pecunias, ut plurimum non obstantibus Fratrum informationibus, & protestationibus in Declarationibus Nicol. III. expressis, quando pecunias pro amore DEI donabant, pro necessitatibus præsentibus, vel imminentibus Fratrum, à se dominium earum, & potestatem abdicare intendebant; prout & communiter modò intendunt, non intelligentes istas protestationes, sed pro Cæremoniis urbanis illas reputantes; quod amplius credunt, quando pro Officiis Divinis, Prædicationibus &c. pecuniam præstant, arbitantes se naturali saltem gratitudine obligari; Idque recognoscunt, & fatentur Constitutiones Generales Julii secundi (etsi in pluribus Privilegiatæ) quæ cap. 4. referentes causam, cur Mart. V. hanc provisionem dederit, non aliam ponunt, quàm quòd quidam dando liberè, vel legando pecuniam, nedum volunt & intendunt, imò verbo expriment &c. se eo ipso à se ipsis dominium talium abdicare, &c. quæ pecuniæ, cum

non essent hæcenus in dominium Ecclesiæ receptæ, angebantur Fratres, quomodo ad illas recurrere possunt, vel in suas necessitates procurare expendi, sinè autoritate alicujus veri Possessori s, qualem in his neminem cognoscebant: Igitur Mart. V. volens his anxietatibus providere, accepit in se dominium illarum pecuniarum, si quæ fortè sic abdicatæ essent, ut certum Dominium non haberent, vel intelligerentur non habere.

*Quarto.* Putat decipi P. Marchantium in allegando præfato Nicol. III. textu. *Quia* (inquit) *Nicol. III. vult, quòd pecunia à Fratribus per recursum procurata, vel eis liberaliter, aut ex laboritio oblata, remaneant in proprietate, & dominio donantium, donec in Fratrum necessitates expendantur; & per consequens, non potest dici, quòd sint sub incerto dominio: Ergo verum non videtur, quòd Mart. V. assumat eas in dominium sub hac ratione, nè maneat sub incerto dominio.*

*Contra.* Hoc est, quòd Martinus V. non accepit in se dominium pecuniæ cujusvis, sed illius duntaxat, quæ nullum haberet dominium, utpotè pecuniæ, quam donans, vel legans à se omnino abdicasse intelligeretur, vel censeretur; quâ ratione (ut colligitur ex Nicol. III. assumente in dominium Res mobiles & immobiles, quibus licitè utuntur Fra-

tres) manere censeatur sub incerto Dominio.  
Sed

*Instat P. Pelandus: sed Textus Martiniane id non dicit, sed absolutè ait: Cui (Syndico) omnis elemosyna pecuniaria, & alia, quæ ad pecuniam reduci possunt, integraliter consignentur.*

Quòd tamen cum prædicta limitatione debeat intelligi Textus Martinianæ, patet ex dictis immediatè ad tertium; Nec est credibile, quòd Pontifex voluerit auferre dominium donantium, & sibi appropriare, si illud sibi reservassent.

## MEMBRUM II.

**H**ic P. Pelandus adducit probationem P. Marchantii, quæ probat Martinianam non contrariari Regulæ, nec dictis Declarationibus Pontificiis respectu Syndicorum pecuniam recipientium & administrantium, hoc modo: quia Syndici duplicem personam gerunt, nimirum substitutorum donantium respectu pecuniæ, cujus dominium sibi dantes reservârunt; & substitutorum Papæ respectu pecuniarum, quæ ad dominium Papæ revertuntur, dum illud donantes à se ablegâsse censentur. Itaq; sive sint Substituti donantium, sive Substituti Papæ, qui in hoc casu repræsentat donantes,

nihil Regulæ, aut Declarationibus officiant. Et ita habet P. Marchantius.

### SOLUTIO.

**R**espondet P. Pelandus. Quòd licèt possit salvari, hoc non officere respectu pecunia, qua Syndicis daretur sinè Fratrum scitu, & sinè eorum consensu, ad quos tanquam ad amicos Spirituales recurrerent, sicut facerent ad quemlibet alium; attamen respectu pecunia, qua à Fratribus per recursum procuratur, vel eis liberaliter, aut ex laboritio offertur, patet manifestè, quòd Regula & Declarationibus officit: Nam ex Nicol. III. constat, quòd non possunt Fratres statim presentare, vel nominare Syndicum, nec Personam aliam, cui pecunia committatur; quia hoc modo esset Persona interposita, contra Regulam; Sed si dantes nollent per se expendere pecuniam in Fratrum necessitates, debent Substitutos nominare; & quando nollent; sed vellent, quòd persona nominetur à Fratribus, tunc nominare possent, ita ut pecunia dominium apud dantes maneat, donec in Fratrum necessitates sit expensa. Et si isto modus servatur, declarat idem Nicol. III. §. Caterùm: Quòd in nullo infringitur Regule puritas, aut quomodo-libet ejus observantia maculatur. Unde per oppositum nominando, vel presentando statim Syndicum, vel personam aliam, ad recipiendum dictam pecuni-

ans

am, secundum eundem Nicol. Regula puritas infringitur, & ejus observantia maculatur.

Modo secundum Martinianam, potest statim & immediatè Syndicus nominari, ad recipiendum dictam pecuniam à Fratibus per recursum procuratam, vel eis liberaliter oblatam, aut pro laboritio donatam; ita ut ejus Dominium apud Donantes, ( nisi illud sibi reservent ) non remaneat, sed in Summum Pontificem transeat. Ex quo patet, quòd etiam secundum membrum non est verum; nimirum quòd Martiniana in nullo sit contraria Regula, aut Declarationibus Nicol. III. & Clem. V. respectu Syndicorum pecuniam recipientium; quia ut ostensum est, verè contraria est, & non est ibi illa omnimoda conformitas & identitas, quam fatetur esse Doctor Recollectus. Ita P. Pelandus. Sed

Contra arguitur sic. Etiam respectu pecuniæ, quæ à Fratibus per recursum procuratur, vel eis liberaliter, aut ex laboritio offertur, supposito ( ut debet semper supponi ) quòd adsit vera necessitas, præsens, vel imminens, Syndicus præfatus non officit Regulæ & Declarationibus: Ergo Responsio nulla. Antecedens probatur: Ex hoc solùm officeret, ut vult Pater Pelandus, quòd secundum Martinianam possit statim Syndicus nominari, ad recipiendam dictam Pecuniam, à Fratibus per recursum procuratam, vel eis liberaliter, aut ex laboritio oblatam; at-

que sic Syndicus esset persona interposita, contra Regulam; Sed ex hoc capite non officit Regulæ: quia si consideretur Syndicus ut substitutus Dantium; quamvis nominetur, aut præsentetur à Fratibus ipsis donantibus, etiam antequam illi dicant, se nolle per se pecuniam expendere, nec nosse aliquem, cui committant, modò authoritatem circa pecuniam Syndicus prænominatus, non à Fratibus, sed à Proprietario accipiat, (quod fieri potest, sive expressè, & immediatè, sive ex probabiliter præsumpta dantis voluntate) non erit persona interposita, quæ nunquam est, nisi cum authoritatem circa pecunias expendendas à Fratibus accipit: ergo ex hoc capite non officit Regulæ: Et quamvis id videtur prohibere Declaratio Nicol. III. & Clem. V. defactò tamen id non prohibet; sed solùm monet, & ad cautelam majorem hortatur, ob periculum transgressionis Regulæ: ut infra dicitur fusiùs.

*Quòd si* Syndicus præfatus consideretur, ut substitutus Papæ, qui in hoc casu representat donantes; multò minùs officit Regulæ & Declarationibus; Quod probatur: Licuit Fratibus Minoribus ex Regula & Nicol. III. & defactò licet cum puritate conscientie, quando dominus pecunie non vult, aut non potest commodè pecunias expendere in necessitates Fratrum, no-  
mina-

minare, & ex Consensu, ac voluntate principalis domini, subrogare personam quamcunque idoneam, quæ nomine Domini Principalis pecuniam expendat in veras necessitates; & cū persona sic subrogata ita agere, sicut cum prima, siue Domino pecuniæ licebat: Sed in casu nostro nominare Syndicum, siue Procuratorem ex consensu Papæ ad venditiones rerum, & expensionē pecuniæ in necessitates; nihil aliud est, quàm ex consensu & voluntate principalis Domini ( qui in hoc casu est Papa ) cū per se non velit subrogare personam, quæ nomine ejus expendat pecuniam in veras necessitates præsentis, vel imminentes: Ergo cum Regulæ puritate licet tales personas nominare, subrogare, cū ita Pontifex tanquam Dominus Principalis ordinet & velit: Atq; sic servatur modus Nicolai.

*Confirmatur.* Procuratores à Nicol. III. instituti ratione venditionis rerum ante in usu Fratrum existentium, receptionis pecuniæ, expensionis ejus in necessitates Fratrum, quæ auctoritate Summi Pontificis fiunt, ejusque nomine; interposita Fratrum Persona dici non possunt: Ergo nec Procuratores à Mart. V. instituti; cū nē quidem in puncto, siue ratione institutionis, siue administrationis, ab illis diffideant; quamvis fortè in objecto, seu subiecto aliqua sit differentia. Si

*Dicas.* Quamvis id admitti possit quantum ad pecunias, quæ jam nullius Domini factæ sunt, eò quòd dantes eas à se abdicaverunt; tamen admitti non potest, respectu pecuniæ, cujus dominium manet penes dantes; attamen secundùm Martinianam respectu etiam istius potest statim immediatè Syndicus nominari, ad recipiendum dictam pecuniam, ita ut ejus dominium apud donantes, nisi illud reservent, non remaneat, sed in Papam transeat; Consequenter arctari videntur tã dantes, ut pecuniam non nisi Syndicis consignent, quàm Fratres, ut non nisi Syndicos nominent.

*Respondetur.* Pontificem nõ voluisse ullâ ratione restringere potestatem donantiũ, quin, si velint, in se potestatem, & dominiũ reservent, illamq; administrant, vel administrari faciant per quoslibet substitutos, prout etiã declaravit Nicol. III. Declaratio enim Mart. V. & Statutũ, solùm respicit Fratres, ( quibus tamen Mart. V. liberum reliquit servare modos Nicolai, si putarent se posse eos meliùs servare c.4. Const. ) ita ut declaratio Mart. V. præfata, duos habeat fines. Primò: ut provideatur incerto dominio pecuniarũ, & declaretur, illas jure communi, ut bona pauperibus piè data, absq; retentione domini, in dominium Ecclesiæ revolvi, & Procuratoribus assignari, tanquam Domini Papæ Sub-

Substitutis ad legitimam eorum administrationem, ut in usus Fratrum convertantur. Secundò: ut inquietudinibus Fratrum, & abusibus emergentibus meliùs provisum esset quoad nominationem substitutorum & Depositariorum, casu quo dantes etiam dominium pecuniæ retinentes, nollent personas aliquas nominare ad expendendum, sed Fratres juxta Decla. Nicol. III. deberent illas præsentare; cùm nomine Fratrum intelligantur illi tantùm, qui ad amicos recurrere possunt: Sunt autem ex Regula Ministri tantùm, & Custodes: ex Decl. verò Nicol. Fratres ab illis commissi: unde Mart. V. providè, & secundùm Regulam ordinavit, nè nimia licentia daretur Fratribus in nominando: (cùm Fratres suæ conscientiæ prodigi tales interdum nominarent, quibus ut famulis & Ministris utebantur, & per ipsos infideliter ad placitum Fratrum expendebantur) ut ad hujusmodi pecunias expendendas, non nominarentur, nisi à Ministris & Custodibus nominati; & hi sunt Syndici, quorum fidelitati cætera Conventuum negotia, autoritate Pontificis sunt commissa; Prout etiam defactò nostra Provincialia ordinant Statuta: Atque sic hæc provisione Mart. V. potiùs est firmata Regula, & judicio Ministrorum & Custodum, ac Summi Pontificis fideles personæ designatæ sunt, quæ donan-

donantibus nominari, vel præsentari possunt pro administratione eorum pecuniæ, tanquam ipsorum substituti, donec in usus Fratrum expendatur; Ita tamen, quòd si donantibus aliter placeat, vel si ipsi aliter per se, vel per alios disponere velint, illis liberum sit; modò pecunia juxta licitos Regulæ modos expendatur: Unde nihil per hanc Provisionem Mart. V. derogari videtur dispositioni Nicolai III.

## MEMBRUM III.

**H**ic P. Pelandus adducit probationem Patris Marchant deducentis Martinianam non esse contrariam Regulæ, nec Declarationibus respectu Fratrum, & modi recursus, sic: Quia Fratres non possunt recurrere ad Syndicos, nisi secundum rigorosum Regulæ præceptum, nimirum autoritate Ministrorum & Custodum (sub quibus Guardiani comprehenduntur) & in vera præterita, præsentis, vel imminenti necessitate à Ministris & Custodibus judicanda, & secundum modos, quibus ad amicos spirituales, & eorum substitutos per Declarationem Nicol. III. recurrere possunt: Unde nihil possunt Fratres agere circa Syndicos, quod ex Regula non possunt circa Dantes, vel Substitutos. Et hæc sunt verba P. Marchantii.

## SOLUTIO.

**R**espondet P. Pelandus: Quod ex Tribus, quæ P. Marchant adducit ad probationem hujus 3. membri, unum conceditur, & duo negantur. Primo, quod Fratres non possint recurrere ad Syndicum, nisi secundum rigorosæ regula præceptum, auctoritate scilicet Ministrorum, & Custodum, & hoc conceditur. Secundo, quod Fratres non possint recurrere ad Syndicos, nisi secundum modos, quibus ad amicos spirituales, & eorum substitutos, per Declarationes Nicol. recurrere possunt; Et hoc conceditur secundum Nicol. III. sed negatur secundum Mart. V. qui expressè relinquit Fratribus liberum, servare modos Nicol. III. eòs q̄ in hoc dispensat dicens cap. 4. Martiniana: In omnibus autem, quæ ultra hoc magis videntur arctare Fratres, sive ex Declaratione Clementis, sive ex quacunḡ alia Declaratione Summ. Pontificum, vel aliorum quorumcunque Apostolicâ auctoritate misericorditer dispensamus: Deinde subjungit libertatem servandi Decl. Nicol. III. & Clem V. dicendo: non adstringentes eos, qui voluerint prædictas Declarationes servare, quin suo voto satisfacientes servare valeant, & tenere. Idemque ipsum P. Marchantium fateri dicit, quamvis hic aliter loquatur, ut Nicolaum ad Martinum pertrahat. Tertio negat, quod nihil possint agere Fratres circa Syndicos, quod ex Regula non possunt agere circa dantes, vel substitutos.

Quia

*Quia (inquit) secundum Martinianam plus possunt Fratres circa Syndicos Papæ, quàm secundum Regulam & Nicol. III. circa substitutos donantium: Nam ad Substitutos donantium non possunt recurrere, nec eos rogare, nisi ut expendant in Fratrum necessitates pecuniam sibi à donantibus commissam: sed secundum Martinianam non solum possunt Fratres recurrere ad Syndicum Papæ, & eum rogare, ut expendat pecuniam ex venditione mobilium, quæ sunt in usu Fratrum, acceptam, sed etiam ad recipiendum in Papæ dominium pecuniam à Fratribus per recursum procuratam, vel sibi liberaliter aut ex laborio tributam; Quod quidem nullo modo facere possunt, juxta Declarationes Nicol. III. & Clem. V. qui volunt, quòd hujusmodi pecunia maneat in Dominio donantium, donec expendatur, nec ullo modo in dominium Ecclesie transeat; & propterea Martiniana in hoc Fratres dispensavit dicens: misericorditer dispensamus.*

*Sed quantum ad hoc secundum, & tertium punctum, quæ negantur à P. Pelando, ob rationes ab ipso adductas; Admisso, quòd per Martinianam in modis à Nicolao expressis sint dispensati, ut pretendit P. Pelandus, cum Corduba contra solutionem Patris Pelandi quoad secundum.*

*DICO. Quòd P. Pelandus confundat modos recursus expressos in Decl. Nicol. III. qui sunt in*

in duplici differentia : aliqui enim sunt quasi intrinseci , essentialiter determinantes substantiam votorum, Præceptorum, ac obligationum, sinè quibus eorum essentia salvari non potest : alii sunt quasi extrinseci , accidentaliter determinantes vota , præcepta, & Obligaciones, sinè quibus potest salvari substantialis puritas eorū ; qui propterea mutari possunt interdum in æquivalentes, & quandoque etiam juxta circumstantias, in meliores. In proposito itaque nostro, quando P. Marchantius dicit, Fratres non posse recurrere ad Syndicos Martinianos, nisi secundum modos, quibus ad amicos spirituales, & eorum substitutos per Declar. Nicol. III. recurrere possunt; loquitur de modis quasi intrinsecis, qui sunt: ut Fratres non permittant plus deponi apud illos, quàm necessitas requirat, ut residuum ad donantes revertatur, ut donantes repetere possint pecuniam, ut Fratres recurriendo in pecuniam nil omninò Juris prætendant, & ab omni administratione, seu dispensatione pecuniæ abstineant, ut contra personam nominatam ab eis, cujuscunque conditionis existat, in judicio, vel extra, qualitercunq; persona prædicta in commissione hujusmodi se habeat, actione non irritent; nisi enim serventur isti modi, substantia præceptorum, & Obligationum Regulæ, ut patet, violatur; Et isti modi

etiam secundum Martinianam servari debent in recurſu ad Syndicos; nec hos ſervare liberum relinquit Martinus Fratribus, neque eos in his diſpenſat; ſed loquitur de aliis modis, quaſi extrinſecis, qui ſunt mutabiles, ſalvâ ſubſtantiali puritate Regulæ, quales ſunt illi: Quod Fratres non nominent, nec præſentent ſubſtitutum, niſi poſtquam dixerit ille, qui dat pecunias, ſe nolle per ſe, nec aliquem noſſe, cui committat; Quod faciant proteſtationem, & quod petant aſſenſum dantis, & licentiam ad ſubrogandum, vel ſubſtituendum alias perſonas; ſicut præſcribit Nicol. III. & Clem. V. nam ut advertit Cyprianus Crouſers 45. ſupra Reg. Fratrum Minorum ex Hieronymo à Politio, Pontifices illos modos poſuiſſe ad abundantiorẽ cautelam, & monitionis cauſâ, ut indicat illa particula in deſcriptione horum modorum Nicol. poſita. §. *Ceterum &c. ſi fieri poterit.* Et ut magis à periculis tranſgrediendæ Regulæ & receptione pecuniæ elongemur. *Ne merito (inquit Clem. V.) tranſgreſſores Regulæ, & Præcepti dici poſſint.*

*Dices. Nicol. III. §. Ceterum, dicit: Quod ſiſte modus ſervatur, in nullo infringitur Regulæ puritas, aut quomodolibet ejus obſervantia maculatur: Ergo per oppoſitum, nominando, vel præſentando ſtatim Syndicum, vel perſonam aliam*

aliam ad recipiendam dictam pecuniam, secundum eundem Nicolaum Regulæ puritas infringitur, & ejus observantia maculatur.

*Respondetur neg.* Consequentiam. Quia enim hoc non tangit essentiam Præceptorum, votorum, atque obligationum, sed solum est modus accidentalis, quo practicari potest præceptum Regulæ, *ly nullo modo Denarios, vel pecuniam recipiant*, potest mutari salvâ observantiâ, & puritate Regulæ, in oppositum variatis circumstantiis, ita ut puritas Regulæ sicut stat cum eo, ita & cum opposito; sicut malè inferretur: sumendo collatiunculam præscriptam in die Jejunij non frangitur Jejunium, nec ejus observantia maculatur: Ergo per oppositum non sumendo jejunium frangitur, & ejus observantia maculatur.

*Quoad tertium.* Primò oppono Statuta Reformat: *quæ cap. 4. num. 3.* supra citavi. Sicque arguo: Ex Declaratione Nicol. III. non solum possunt Fratres recurrere ad Substitutum donantium, ut expendat in Fratrum necessitates pecuniam sibi à donantibus commissam, sed etiam, ut patet ex *Art. 4. §. Caterùm*, quando Dominus pecuniæ non vult, aut non potest commodè pecuniam expendere in necessitates Fratrum, nominare, & ex consensu, ac voluntate principalis Domini subrogare personam quam-

cunque idoneam, quæ nomine domini Principalis pecuniam expendat in veras necessitates, & cum persona sic subrogata agere possit, sicut cū pecunia, siue Domino pecuniæ licebat; Sed nominare, vel instituere, ac subrogare Syndicū, & Procuratorē ex consensu Martinianæ ad recipiendum in Papæ dominium pecuniam, siue à Fratibus per recursum procuratam, vel sibi liberaliter, aut ex laborio tributam; nihil aliud est, quàm ex-consensu, & voluntate Principalis Domini ( qui in hoc casu, ut demonstravi superius, est Papa ) cū per se non velit subrogare Personam, quæ nomine illius pecuniam expendat in veras necessitates, ut suppono: Ergo cum Regulæ, & conscientiæ puritate etiam conformiter ad Declarat. Nicol. III. licet tales personas instituere, nominare, subrogare, cū ita Pontifex fieri ordinet, & velit, sicut verus Dominus: Quamvis iuxta Decl. Nicol. III. & Clem. V. non licuisset, supposito, quòd noluerunt; quamvis cum puritate Regulæ, & conscientiæ Fratrum potuissent velle.

*Ex quibus patet insufficienter esse solutas rationes P. Marchantii à P. Pelando, & frustra ab eo incusari P. Marchantium, quòd non declaraverit, an, & quando post Bullam Urbani octavi, liceat Martinianā uti? hoc enim abunde fecit, cū ostendit eam in contingentibus substantiam*

am votorum, præceptorum, obligationum Regulae, esse omninò conformem, & ferè eandem cum Declarationibus Nicol. III. & Clem. V. in aliis verò saltem æquivalenter.

*Et ex dictis patet ad alia, quæ à P. Pelando in contrarium exaggerantur; ut dum Art. 4. demonstrare nititur omnimodam difformitatem, inter provisiones Martinianas, Nicol. III. & Clē. V. ex ipsorum textu: Nam quantum ad essentialia, sicut in Provisionibus Nicol. III. & Clem. V. dicitur: Totus Ordo semper tenuit, & tenet, quod Regula servatur secundum suam puritatem, quando servatur secundum nostram directionem: ita in provisionibus Martini IV. Pontifices prædicti declaraverunt se nō intendere, nisi purā observantiam Regulae, conscientiarum puritatem, & quietem: Sic expressè Martinus IV. in Bulla: Exultantes in Domino. Martinus V. in Bulla. Amabiles fructus; quas Bullas ut observantiæ Regularis assertrices, confirmavit insertis tenoribus eorū Evgenius IV. Bulla: Provisionis nostræ. Paulus IV. Bulla: Ex Clementi; ubi postquam institutionem, vel potestatem Syndicorum, in provisionibus prædecessorum suorum contentam declarasset, & innovasset, subdit: Nec propter præmissa Fratres Minores hujusmodi, contra Regulam S. Francisci, quam professi sunt, & profitebuntur in futurum, sive contra Statuta Regularia*

*sui Ordinis in aliquo facere, nec fecisse : imò cum illius observatione quoad hoc, & pura, ac sana conscientia, sinè alicujus conscientia scrupulo vixisse, & imposterùm vivere declaramus.*

Quòd autem P. Pelandus adducit textum Mart. V. in quo dicitur : *Authoritate Apostolicâ misericorditer dispensamus*, intelligi debet, ut dixi de modis accidentalibus à Nicol. III. & Clem. V. præscriptis, qui videbantur arctare Fratres; in rei veritate tamen erant mutabiles, salvâ substantiali puritate Regulæ : neque Declar. Nicol. III. & Clem. V. possunt præjudicare Declarationibus sequentium Pontificum, quin possint dubia, difficultates, & alias de puritate Regulæ, & modis observantiæ quæstiones insurgentes, sive renovatas resolvere, declarare, interpretari, modosque observantiæ determinare; sicut & Antecessores potuerunt. Unde dispensatio, de qua loquitur Martiniana, non est relativa, sed declarativa; qualem reperiri etiam in declarationibus Nicol. III. & Clem. V. dixi supra fol. 14. in Resp. ad object. tertiam post concl. primam. Nec est verum, quod dicit Sanctorus, hanc arctationem, in qua dispensat Martiniana provisio, non esse venialem, sed mortalem; quia inquit materia venialis nec arctat, nec indiget dispensatione : nam P. Bonagrat. Capucin. V. Dispensatio : docet materiam dispensationis nõ solùm

folùm esse regulam, sed etiam constitutiones, & statuta Ordinis, quæ, ut omnes tenent, non obligant etiam ad veniale num. 136.

*Ad id* quod addit in fine Articuli, secundùm Martinianam debere omnes Eleëmofynas pecuniarias, & alia quæ ad pecuniam reduci possunt, Syndico integraliter consignari, contra Nicol. III. Declarationem, qui determinat non posse Fratres recurrere ad dautes, vel eorum substitutos, nisi in vera præsentì, vel imminente necessitate: Unde dicit P. Sanctorum de Melfi in Coñmentariis Statut. cap. 4. inferre, quòd Syndicus secundùm Martinianam etiam superflua recipere possit, & ad thesaurizationem, contra Regulam & Declarationes Nicolai III. & Clem. V.

*Respondetur neg.* Assumptum, & illationem Sanctori; quia, ut notat Marchant fol. 90. *sua prælect. Theol.* semper in omnibus suis provisionibus, quando Pontifices loquuntur de Fratribus, restringunt, ut omnia, quæ circa illos fiunt, per modos suæ Regulæ licitos & congruos, vel prout illis licet ex Reg. & Declaratione Reg. fiant; Quod præsertim verum est de Constitutione Martiniana in materia proposita, in qua postquam determinatum est, omnes Eleëmofynas pecuniarias, & alia, quæ ad pecuniam reduci possunt, debere integraliter consignari Syn-

dico, subditur : qui eadem dispensare debeat legaliter, & fideliter, in reparationem Conventuum, & locorum, aliasque necessitates Fratrum pro tempore occurrentes; supponendo, quòd ad præfatos Syndicos, Fratres non nisi in veris dictis necessitatibus recurrere possint, eaque solum in necessitates præfatas, nomine Sedis Apostolicæ, seu Pontificis tanquam Domini Principalis expendi facere, ac deponi permittere.

*Articulo deinde 5. ad illud, quod P. Marchant dicit : Syndicos secundum Martinianam non aliam habere auctoritatem respectu Papæ, quam substituti nominati ab Amicis Spiritualibus.*

*Respondet Pater Pelandus, concedendo de Syndico Nicol. III. nam dicit : sicut subditi amicorum spiritualium habent ab ipsis auctoritatem expendendi pecuniam eorum in Fratrum necessitates ; ita Syndici Papæ habent ab eo auctoritatem expendendi in Fratrum necessitates pecuniam acceptam ex venditione mobilium, que in usu Fratrum sunt ; Sed negat id verum esse de Syndico Mart. V. quia licet substituti donantium auctoritatem ab eis habeant expendendi eorum pecuniam in Fratrum necessitates ; attamen non habent ab eis recipiendi, & expendendi omnes pecunias à Fratribus per recursum procuratas, vel eis liberaliter, aut ex laborio oblatas ; At Syndicus Mart. V. non solum habet à Pa-*

pa auctoritatem expendendi pecuniam acceptam ex venditione mobilium, quæ erant in usu Fratrum, sed etiam auctoritatem habet à Papa recipiendi in dominiũ ejus omnes Eleëmofynas pecuniarias, & omnia alia ad pecuniam reducibilia, & per consequens falsum est ( loquendo de Syndico Mart. V. ) quòd Syndici respectu Papæ non aliam habeant auctoritatem, quàm substituti nominati ab amicis spiritualibus. Sed

*Contra.* Ideo substituti amicorum spiritualium habent potestatem ab eis expendendi pecuniã ipsorummet in Fratrum necessitates; quia illius pecuniæ sunt domini; & non habent auctoritatem ab ipsis recipiendi, & expendendi omnes pecunias à Fratribus per recursum procuratas, vel eis liberaliter, aut ex laboritio oblatas; quia non sunt domini illarum: Sed secundum Martinianã Pontifex verè est Dominus pecuniæ à Fratribus per recursũ procuratæ, vel eis liberaliter, aut ex laboritio oblatæ: ( supposito, quòd dantes à se illã abdicaverunt, ut supra dictũ est ) Ergo potest tanquam principalis Dominus Syndico tanquam suo substituto dare auctoritatem, pecuniam hujusmodi expendendi in veras necessitates Fratrum præsentis, vel imminentes; non aliter omnino quàm Nicolaus III. dedit suo Syndico auctoritatem expendendi pecuniam in necessitates Fratrum, acceptam ex venditione rerũ

mobilium, quæ erant in usu Fratrum ; quia earum est verè Dominus : Ergo verum est ( loquendo de Syndico Mart. V. ) quòd Syndici respectu Papæ non aliam habent auctoritatem, quàm substituti nominati ab Amicis spiritualibus : Unde differentia, quam assignat P. Pelandus inter Syndicos Martini V. & substitutos amicorū spiritualium, est omninò solùm materialis, in ratione scilicet objecti, vel subjecti ; qualis v.g. esset inter duos substitutos duorum amicorum spiritualium, quorum unus auctoritate dantis colligeret pecuniam ex proventibus ei debitam, & eam in Fratrum necessitates expenderet ; alter expenderet pecuniam in Fratrum necessitates auctoritate dantis, per mercaturam, vel successionem acquisitam : Vel qualis est defactò inter Syndicum Nicolai III. & substitutum alicujus amici spiritualis, dum Syndicus Nicolai expendit pecuniam in necessitates Fratrum ex venditione rerum mobilium acquisitam ; substitutus verò amici spiritualis, pecuniam sibi immediatè datam ab ipso : inter hos differentia est solùm Materialis ; nam formaliter conveniunt, quatenus uterque gerit vices veri Domini, in Fratrum necessitates expendendo Eleëmofynã, quicumq; sit ille Dominus, vel quomodocunque acquisierit dominiũ pecuniæ expensæ, quod ut notavi supra cum Corduba ex D. Bonav. &

Hugo-

Hugone, est omninò impertinens ad observantiam Regularem, modò ipsi Fratres non sint Domini, & Administratores pecuniæ; sed id spectat tantùm ad satisfaciendum politiæ, & Juri Gentium, & ad administrationē bonorum, quæ ad proprietatem & dominium Ecclesiæ pertinent: Ita in proposito formaliter accipiendo substitutum dantis, & Syndicū Martini, nil omninò differunt; nam substitutus nihil aliud est ex Decl. Clem. V. quàm persona pro amore Dei eleëmofynam pecuniariam modo Fratribus licito expendens in eorum necessitates nomine Dantis Principalis, sive eleëmofynaria pecunia detur in specie, sive ex venditione, vel alienatione alicujus procedat: Eadem prorsus ratione (cùm dictum sicut est supra, res Fratrum usibus concessæ, sive mobiles, sive immobiles, piæ etiam legationes, & legata pecuniaria, in quibus dantes nolunt sibi reservare dominium, in administrationem Papæ, & dominium Ecclesiæ devolvantur) Papa succedens in locum domini Principalis, habetur pro Principali dante; & consequenter amicus, sive Patris spiritualis vicem tam quoad nomen, quàm quoad rem induit; Et ubi Procuratores, seu Syndicos instituit, idem facit, quod Amicus Spiritualis dans Eleëmofynam, quando illam per se expendere in usus Fratrum non vult, facere solet; amicus namque in tali ca-  
 su

su alios substitutos nominat, aat per Fratres nominari postulat: Ita Papa ordinans Syndicos debere nominari per Generalem in tota Provincia, qui pecuniam recipiant, & expendant, vult substitutos suos per Fratres nominari; Unde sicut substituti Donantium reputantur ex Decl. Clem. V. amici spirituales, propter ministerium, quod nomine donantium exhibent; ita Syndici Domini Papæ possunt, & debent dici Amici spirituales, quia ut substituti Papæ, vel donantium ministerium suum exhibent; ideoque participativè ratione ministerij nomen amici spiritualis sibi merentur, & vulgariter hâc ratione Patres spirituales nuncupantur.

*Ulterius dum P. Pelandus ad alia quædam P. Marchantij dicta Respondendo dicit: Provisionem Mart. V. deservire majori Fratrum quieti tantum exteriori, non interiori conscientie; quia per eam sunt misericorditer dispensati. Item quod facilius sit unam Personam ( id est Syndicum Martinianum ) informare, sed non purius. Item quod B. Joannes Capistranus illam provisionem Martini V. impetravit pro Conventualibus, non pro Observantibus. Hæc omnia inquam facile ex dictis rejiciuntur, quia sine ratione dicuntur. Sed*

*Quantum ad primum falsum est provisionem Mart. V. quoad Syndicum deservire solum exteriori quieti Fratrum, non interiori conscientie:*

entia: quia hæc dispensatio de qua loquitur, nõ est relaxativa, ut dixi, sed solùm declarativa, consequenter deserviens interiori conscientia quieti: hinc Petrus Navar. apud Cordub. quæst. 26. fol. 451. dicit: *Ad securam Regula observantiam, Institutio Syndicorum, non dispensatio, sed melior dispensatio vocari deberet.*

Ad secundum; quòd non solùm est faciliùs unam Personam, scilicet Syndicum Martinianum informare, sed etiam puriùs, patet ex Cordub. ad Cap. 4. Reg. q. 8. explicante quintam conditionem, quæ necessaria est in procurando, & deponendo pecuniam apud aliquem, secundùm Regulam & Declar. Nicol. III. & Clem. V. ubi ait: *Ideo pro remedio oblivionis cautè faciunt, qui Syndicos, seu alios depositarios pecuniarum habent jam generaliter instructos, ut sciant, quòd nulla pecunia deposita apud eos, per dantes quoscunque deponitur, aut tenetur, vel expenditur nomine, & auctoritate Fratrum; neq; in ea habent dominium, sed ipsi donantes, si sunt vivi, sunt Domini liberi; si autem sunt mortui, vel si pecunia est in testamento legata, jam talis pecunia, vel ejus depositio, pertinet ad Papam, vel Ecclesiam, & ejus nomine tenetur ad necessitates Fratrum:* Ergo non solùm est faciliùs informare unam personam (id est Syndicum Martinianum) sed etiã puriùs secundùm Cordubam.

Petrus quoq; Navarrus apud Cordubam cap. 4. quæst.

4. quæst. 16. ponit Conclusionem hujusmodi ad marginem: *Fratres ultramontani licitè possunt uti Syndico ad pecunias deponendas, sinè aliqua Regulæ dispensatione, quod non solùm est utilius, sed omnino necessarium, postquam in Capitulo Generali Romæ celebrato 1600. auctoritate Apostolicâ constitutum est, ut dominium pecunia, sive liberaliter, sive cum onere Fratribus oblata, penes Romanum Pontificem remaneat, juxta Declarationem Mart. V. & Pij IV. Videatur Pater Emanuel. Rodriguez, tom. 3. quæst. Regularium q. 37. art. 4.*

*Ad tertium DICO, esse meram & inutilem evasionem; nam Corduba ad cap. 4. Reg. quæst. 16. fol. 436. notat, istas Constitutiones Martinũ V. fecisse pro toto Ordine uniendo, & reformando; consequenter impetrari, & acceptari à Beato Capistrano tam pro observantibus, quàm pro Conventualibus; aliàs si pro ipsis distinctæ Constitutiones fuissent ordinatæ, non voluisset ipsos reformare, & observantibus unire.*

*Deniq; Exclamatio, quâ utitur contra dictum P. Marchantii ad calcem suæ Concordiæ positũ, quòd scilicet nulla sit in provisione Mart. IV. & V. particula, quæ si bene consideretur, vel modicum puritati Regulæ adversetur; Est solùm vox, & præterea nihil.*

*Tandem pro intelligendis protestationibus ab Ordine factis contra omnes Declarationes Regulæ*

gulæ adversas, & Declarationibus Nicol. III. & Clem. V. & ad intelligendum, utrùm provisio Martiniana adversetur Regulæ, dictorumque Pontificum Declarationibus.

*Advertendum* est triplicia reperiri in Declarationibus Summorum Pontificum, quæ diversimodè ad regulæ puritatem spectant: Alia enim ad essentiam votorum, Præceptorum, & obligationum pertinent; ut sunt, quæ de vera paupertate, pecuniarum omnimoda abdicatione &c. traduntur, & illa semper & ubique immobilia sunt, & uniformiter declarantur. Alia sunt, quæ modos accomodos assignant, quibus præcepta observari possunt, ut sunt modi assignati pro recurſu ad Amicos spirituales, & illi mutabiles sunt, & salvâ substantiali puritate in æquipollentes, & aliquando etiã juxta circumstantias, meliores, vel congruos modos mutari possunt. Alia denique, quæ extraneæ sunt, & ad satisfaciendum magis politix, & Juri gentium spectant; ut quæ de dominio rerum usibus Fratrum cedentium, de dominio pecuniarum, antequam in rem Fratribus licitam convertantur disputantur. In his porrò duobus ultimis declarandis, disponendis, exprimendis variè se Pontifices habuerunt, absq; ulla Regulæ, vel puritatis ejus relaxatione, supplendo, mutando, interpretando, indulgendo, prout rerum. temporum,

porum, locorum circumstantiæ postulaverunt; In primo autem, & circa essentialia Regulæ se uniformiter habuerunt; Et si qui inventi sunt aliquando aliquid puritati Regulæ, & observationibus literalibus, & spiritualibus votorū, & præceptorum contrarium ob infirmitatem Religiosorum benignè indulgisse, his dispensationibus, & Privilegiis Ordo semper renuntiavit; Atque sic etiam præfatam Martinianam provisionem conformando se Authoribus illam relaxativè interpretantibus non recipit. Quòd si tamen explicetur, uti explicatur à P. Marchant, nullâ ratione videtur habere locum inter Declarationes relaxativas, nec consequenter ab Ordine ei renuntiatum esse, vel eam per breve Urbani VIII. esse revocatum. Dat. Rom.

Omnia hæc Censuræ Sanctæ Matris Ecclesiæ humiliter, & devotè subijcio, & submitto,

AD MAIOREM DEI GLORIAM,

Animarum salutem.

F I N I S.



